

tem ex doctrina Salvatoris (Luc. 20.) homines Sancti in gloria sint æquales Angelis Dei: convincitur, ut si Angeli pro nobis orant in patria, etiam homines Sancti pro nobis orare possint, & exaudiri.

Denique dives epulo in tormentis positus, oravit pro fratribus suis in hac vita existentibus, multo ergo magis credendum est, Sanctorum animas in celo positas, quæ ardentiori erga proximos flagrant charitate, orare Deum pro salute fratrum in hoc sæculo manentium. Nam si dives ille, qui dum viveret, nullam salutis fratrum curam habuit, pro salute illorum mortuus intercedit, multo iustius est credere Sanctos qui dum viverent pro hominibus orabant, hoc ipsum post mortem, quando jam Dei visionem fruuntur, ferventius factururos.

Verentur ergo hæretici contra tot factæ scripturæ testimonia, Sanctorum gloriæ & honori detrudere, & illorum suffragiis vivos homines defraudare. Possem etiam ad hujus rei confirmationem plura sanctorum Doctorum testimonia citare, quæ prudens omitto, ne metas brevitatatis promissæ excedam. Quod si curiosus lector ea videre desiderat, assignabo ei loca unde illa petere possit. Bernardus sermone sexagesimo sexto super Cantic. reprehendit quosdam sui temporis hæreticos, qui negabant Sanctos esse orandos. Beda in homilia super Evangelium Matthæi de muliere Cananea. Damascenus libro quarto De fide orthodoxa, cap. 16. Augustinus super Joannem tractatu 84. & super Psalmum 120. Cyrillus lib. 6. ad

versus Julianum apostatam. Hieronymus in libro contra Vigilantium, Cyprianus ad Cornelium Papam scribens perit, ut si quis eorum prior decesserit, pro fratribus & fororibus nostris Deum oret: & est hæc epistola omnium prima. Dionysius Areopagita capite septimo Ecclesiasticæ Hierarchie. Post tot apertissima & efficacissima testimonia extant plurima Conciliorum decreta quæ de hac re definiunt. Concilium Gangrense cap. vigesimo suorum decretorum in hunc modum ait: Si quis per superbiam tamquam perfectum se existimans, conventus qui per loca & basilicas Sanctorum Martyrum fiunt, vel accusaverit, vel etiam oblationes, quæ ibidem celebrantur, spernendas esse crediderit, memorialque Sanctorum contemendas, anathema sit. Hæc ibi. Sunt alia plurima Concilia quæ præcipiant Litanias, hoc est rogationes Sanctorum quotannis solemniter in Ecclesia fieri, in quibus ad omnes Sanctos orationes & preces emittuntur, ut Deum pro populo orent. Nam Concilium Aurelianense, capite 23. suorum decretorum, sic ait: Rogationes, id est litanias, ante ascensionem Domini placuit celebrari, ita ut præmissum triduanum jejunium in Dominicæ passionis solemnitate solvatur: per quod triduum servi & ancillæ ab opere relaxentur, quo magis plebs universa conveniat: quo triduo omnes abstineant, & quadragesimalibus cibis utantur. Hæc Concilium. Litanias etiam fieri præcipit Concilium Gerundense, capite tertio. Concilium Toletanum quintum, capite primo, & Concilium Toletanum sextum, capite secundo. Concilium Braccarense secundum, cap. 9. Verum hæc rogationes quæ ab his tribus ultimis Conciliis celebrari mandantur, aliæ sunt ab illis quas celebrari præcepit Concilium Aurelianense: quoniam illæ in vere ante ascensionem Domini fieri mandantur, hæc autem in mense Decembris celebrari præcipiuntur. De hoc tamen inter omnia illa Concilia convenit, quoniam omnia illa Concilia decernunt & mandant ut aliquo tempore rogationes solemnes celebrentur. At si Sancti non essent

orandi, namquam Concilia præcepissent tales litanias celebrari. Si enim ipsi non audiant orationes nostras, aut orantes pro nobis numquam exaudiantur, frustra illos orare præcipimur. Veneremur ergo Sanctos quos Pater ecclesiis sic honorificavit, ut amicitia sua dignos judicaverit. In nostris necessitatibus ad eos confugiamus, eos orantes, ut pro nobis ad Deum intercessores esse velint. Nec tamen hac fiducia illos orare debemus, ut in illis omnem nostram spem collochemus, tamquam illi potentes sint ad præstandum ea quæ cupimus, quoniam hoc modo solum Deum orare debemus, & in illo solo puppim (ut dicitur) & proram constituere. Sed hoc solum à Sanctis petere & sperare debemus, ut ipsi velint à Deo petere id quod nos assequi optamus. Hoc enim aperte inquit divinus Psalter, (Psalm. 129.) dicens: *Levavi oculos meos in montes, unde venit auxilium mihi.* Et ne quis deciperetur, credens quod ipsi montes, hoc est Sancti, essent auxilium daturi, statim subiunxit: *Auxilium meum à Domino, qui fecit celum & terram.* Quæ verba exponens beatus Augustinus super Psalmos, ait: Noli putare quia ipsi montes tibi dabant auxilium. Accipiunt enim quod dent: non de suo dant. Hæc ille. Propter hoc Ecclesia à Spiritu Sancto edocta, in litanis sive rogationibus quas celebrat, alio modo orat Deum, & alio modo orat Sanctos. Nam Deum orans, sic ait: Pater de cælis Deus, miserere nobis. Filii Redemptor mundi Deus, miserere nobis. Cum autem aliquem Sanctorum orat, non dicit illi, miserere nobis, sed ait: Ora pro nobis. Itaque Ecclesia orans, à Deo petit misericordiam, à Sanctis autem intercessionem. Argumenta quibus se hæretici tument, quoniam ridicula sunt, & nullius roboris, brevitate studens omisi, præsertim quod ex iis quæ diximus, facillime rejici possunt. Adversus hanc hæresim disputat Jodocus Clithoveus uno integro libro quem inscripsit De veneratione Sanctorum. Thomas de Vio Cajetanus Cardinalis parvum quoddam opusculum de hac re ædidi. Albertus Pighius Campanensis hanc rem perdoctè tractat, in libro controversiarum Ratisbonæ habitatum, controversia tertiadecima.

S A T I S F A C T I O.

UNUS ex pestilentissimis Lutheri erroribus est, qui docet non esse opus peccatori ulla satisfactione pro peccatis perpetratis, quoniam, ut ille ait, dimissa culpa, omnis etiam poena quæ culpæ debebatur, dimissa manet. Sed contra hunc errorem jam satis supra disputavimus in titulo de penitentia. Illo enim loco ostendimus ex sacris litteris, post dimissam à Deo culpam oportere peccatorem pro illa aliquam, aut in hoc mundo, aut in purgatorio pati poenam. Et ita non est opus ut iterum de hac re disputemus.

S C R I P T U R A S A C R A.

OMNIBUS fere hæreticis hoc unum fuit commune, facris videlicet scripturis detrudere. Nam eas sapissime aliter quam decet pro libro interpretantur. Et si forte contra aliquam eorum assertionem locus aliquis adferatur tam patens, ut interpretationibus eorum quantum libet tenebrosissimè minime valeat ejus claritas offuscari, statim librum illum ex canone scripturæ factæ rejicere conantur, dicentes librum illum indignum esse qui in tali catalogo sanctorum librorum connumeretur. Nam

cum scriptura sacra sit mystica quædam turris David, ex qua omnis armatura fortium (Cant. 4.) & Catholicorum virorum pender, ideo hæretici conantur scripturas sacras minuere, ne arma habeamus quibus eorum insanas doctrinas profutere valeamus. Ideo ab aliquibus unus liber, ab aliis alius rejicitur, prout cuique expediens videtur, & suæ assertioni talis libri doctrina repugnat. Hoc tamen loco, non est opus adversus singulas eorum hæreses disputare. Nam cum supra libro primo, cap. 2. jam ostendimus sanctorum librorum catalogum, satis nunc erit solum narrare eas hæreses, quæ ex canone librorum ab Ecclesia, recepto aliquos rejiciunt libros velut apocryphos, & nullius auctoritatis.

Prima ergo hæresis est, quæ totum vetus testamentum rejicit. Hujus hæresis primus auctor extitit Carpocrates, à quo Carpocratiani sive Carpocratice hæretici dicti sunt. Post hunc Carpocratem successit in eodem errore Cerdon, tempore Iginii Papæ & Martyris, qui nonus à beato Petro totius Ecclesiæ summus Pontifex fuit. Hoc enim tribuit Cerdoni Augustinus in libro de hæresibus, cap. 2. Post Cerdonem hanc eandem tutatus est hæresim Severus, à quo Severiani dicti sunt. Hoc enim de Severo refert Augustinus in eodem libro de hæresibus, cap. 24. Eandem hæresim post aliquot annorum curricula suscitavit Manichæus, sub quo magis innovit: quæ de causa factum est, ut à multis credatur Manichæum fuisse primum hujus hæresis auctorem. Constat tamen Manichæum fuisse fere ducentis annis posteriore Cerdone. Post Manichæum eandem alexati sunt hæresim Albanenses. Nam Guido Carmelita in sua summa de hæresibus, Albanensium errores enumerans, hunc inter alios sexto loco collocat. Hi omnes hæretici convenerunt in unum adversus testamentum vetus, illi exprobrantes, quod à malo principio factum fuerit: quapropter malum esse etiam illud dicebant. Adversus hanc hæresim jam supra disputavimus in titulo de lege, hæresi secunda. Illo enim loco per testimonia sumpta ex novo testamento probavimus legem esse bonam, & à bono principio procedentem. Et in titulo de Deo, hæresi prima, probavimus ex sacris litteris unum tantum esse Deum, qui sit omnium rerum principium. Non est ergo opus, ut amplius adversus hanc hæresim disputemus.

Secunda hæresis non recipit libros Machabæorum. Hujus hæresis auctor est Lutherus, dicens libros illos non esse canonicos, nec dignos qui sacris libris annumerentur. Hoc autem ideo facit Lutherus, quia doctrina in illis contenta, apertissime contra suam doctrinam pugnat. Lutherus enim ait orationes, ut alia suffragia, quæ à viventibus pro mortuis fiunt, nihil mortuis prodesse. In secundo autem Machabæorum, libro laudantur talia suffragia quæ pro mortuis fiunt. Ideo Lutherus suum pertinaciter defendens errorem, hos Machabæorum libros, quia suæ doctrinæ repugnantes, rejicit. Quod autem hi libri inter sacros sint connumerandi, testatur beatus Augustinus, Damascenus, Innocentius Papa hujus nominis primus: demum Concilium Cartaginense tertium inter canonicas scripturas, hos Machabæorum libros censuit collocandos. Quæ omnia supra lib. 1. cap. 2. protulimus. Verum Lutherus & illius imitatores objiciunt nobis Hieronymum dicentem tales libros non esse canonicos. Sed re vera aliter Hieronymus sentit, quam ipsi putant. Nam in præfatione in libros Machabæorum, Hieronymi verba sunt hæc: Machabæorum libri, licet non habeantur in Canone Hæbreorum, tamen ab Ecclesia inter divinorum voluminum

annotantur historias. Hæc Hieronymus. Ex cujus verbis constat hos libros esse ab Ecclesia in sanctorum numerum coaptatos. Quod si Ecclesia censuit hos libros esse pro divinis recipiendos, quamvis in Canone Hebræorum non habeantur, nullus citra hæresim notam illis repugnare valebit.

Tertia hæresis est, quæ Evangelia sacra rejicit. Nam Cerdon, de quo supra diximus, solum recipiebat Evangelium Lucae, alia tria rejiciens. Hoc enim de illo refert Tertullianus in libro de hæresibus. Cerdonis errorem postea suscepit Marcion, ejusdem Cerdonis discipulus, prout Irenæus testatur libro primo adversus hæreses.

Quarta hæresis est, quæ ex omnibus quatuor Evangelicis, solum recipit Evangelium Matthæi, reliqua tria contemnens. Hanc hæresim tribuit Philaster Cerintho, in suo libro de hæresibus. Verum Augustinus in capite 8. sui opusculi de hæresibus, de hoc Cerintho differens, numquam hujus hæresis meminit. Irenæus lib. 1. adversus hæreses, cap. 26. tribuit huic errorem Ebion, à quo dicti sunt Ebionitæ hæretici.

Quinta hæresis est, quæ Actus Apostolorum non recipit, sed illum librum conatur auferre ex catalogo sanctorum librorum. Hanc hæresim tribuit etiam Philaster Cerintho simul cum precedente, cujus non meminit Augustinus, sicut nec precedentis. Eusebius Cæsariensis lib. 4. historiae Ecclesiasticæ refert, Severum, à quo Severiani hæretici dicuntur, non recepisse librum Actuum Apostolorum.

Sexta hæresis est, quæ omnes Pauli Apostoli epistolas docet nullius esse momenti. Hujus pestiferæ hæresis primus, auctor fuit Ebion. Hoc enim illi tribuit Irenæus lib. 1. adversus hæreses, cap. 26. Et hoc ideo Ebionem fecisse constat, quia Ebion docebat legem veterem, simul cum nova esse observandam. Cui doctrinæ cum tam aperte repugnet Paulus in pluribus suis epistolis, ideo Ebion, ut suum turaretur errorem, ad hoc confugit asylum, ut omnes Pauli epistolas rejiceret. Post Ebionem successit in eodem errore severus: quamquam Augustinus in libro de hæresibus de Severo faciens sermonem, numquam hujus erroris meminit. Verum Eusebius Cæsariensis lib. 4. historiae Ecclesiasticæ, cap. 29. refert Severum obrecessisse Paulo, & omnes illius epistolas refurasse. Et hoc idem fecisse Tatianum Encratitarum principem aperte innuit, quamquam de Tatiano Augustinus differens, numquam hoc illi impingit. Hanc eandem hæresim suscepisse Eusebius, testatur etiam Eusebius libro sexto Ecclesiasticæ historiae, cap. 27.

Septima hæresis non recipit epistolam Jacobi. Hujus hæresis auctor est Martinus Lutherus. Nam licet olim ab aliquibus de illa dubitatum fuerit, an esset Jacobi, tunc tamen non erat adhuc aliquid de illa definitum ab Ecclesia. At cum modo jam sit ab Ecclesia in multis Conciliis recepta, non licet jam de illa dubitare. Quapropter Lutherus quia illam contra Ecclesiæ definitionem rejicit, merito hæreticus hac ratione censetur. Quare autem Lutherus hanc Jacobi Apostoli epistolam rejicit, apertum est. Lutherus enim, ut in titulo de fide relatum est, sentit solum fidem justificare, eamque solum esse satis ad vitam æternam assequendam, etiam si opera desint: Jacobus autem in sua Canonica epistola docet fidem sine operibus esse mortuam. Quia ergo Lutherus vidit Jacobi epistolam suæ repugnare sententiæ, ideo hanc epistolam negat, dicens, non esse Jacobi Apostoli, nec dignam Apostolico spiritu. Et certe miror quod Lutherus tam effrons sit, ut negare au-

spectant, succedunt alii Canones, videlicet nonus & decimus, qui ad particularia Sacramenta spectant: & ideo illos nunc omittimus, quoniam in illis locis ad quos pertinent, jam illos citavimus. Sequitur deinde canon undecimus ad hunc locum pertinet, qui sequentibus verbis continetur.

Si quis dixerit, in ministris dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit. Hactenus Concilium Tridentinum. Adversus hanc hæresim strenue pugnat illustrissimus Rex Angliæ uno integro libello quem pro assertione Sacramentorum Ecclesiæ addidit.

Secundus de hac re error est qui negat in aliquo Sacramento imprimi characterem. Et hujus erroris auctor est etiam Lutherus. Verum de hoc errore jam satis (ut diximus) supra disputavimus in titulo De characterem. Non ergo justum est, ut iterum hunc errorem in contentione revocemus.

SANCTI.

NIHIL est quod intentatum reliquerit adversarius noster diabolus, ut nos à vitæ æternæ consecutione impediret. Nam quicquid nos ad illam beatam vitam capendam juvare potest, à nobis auferre conatur. Qui enim à Sacramento perceptione populum mentes invocare nitentur, idem etiam à veneratione Sanctorum homines revocare molitus est, quoniam videlicet scit nos plurimum illorum orationibus juvari, ideo quosdam misit qui in spiritu erroris loquentes mendacium, dicerent Sanctos non esse ab hominibus honorandos, neque oportere illos orare, ut vel sic homines hic viventes Sanctorum qui in cælis sunt defraudarent auxilium. Hujus pestiferæ hæresis auctor primus (quod sciam) fuit Eustachius quidam, propter hunc errorem & multos alios in Concilio Gangrensi damnatus. Post hæc in eodem errore successit Vigilantius Gallus Barchinonensis Ecclesiæ Presbyter, adversus quem beatus Hieronymus bis de hac re scripsit. Eundem errorem post multos annos tutati sunt Vvaldenses, qui omnium Sanctorum festivitates ab Ecclesia auferre conati sunt. Joannes Vvicleph cum semper pro Vvaldensium secta pugnaret, noluit in hac parte ab illis deficere, ut semper sui similis esset. De Joanne Hufi non est opus dicere, cum hic in verba Vvicleph magis quam in verba Christi jurasse videatur. Bohemi vero captivantes intellectus suos in obsequium Joannis Hufi, hunc inter alios turantur errores. Martinus Lutherus hodie in eadem damnatione persistit. Joannes Oecolampadius in expositione quam ædidi super Esaiam Prophetam, hunc errorem sæpissime inculcat. Sanctos esse honorandos aperte docet Propheta Regius, (Psal. 138.) dicens: *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus.* Amicos Dei vocat Apostolos & reliquos Sanctos, qui Deum sincero quodam amore diligunt. Nam ipsemet Christus promissit illis ut post hanc transactam vitam in suam reciperet amicitiam, dicens: (Joan. 12.) *Jam non dicam vos servos, sed amicos.* Qui ergo à David honorati esse perhibentur, non est dignum ut à nobis sine ullo honore relinquuntur. Præterea ipsamet veritas apud Joannem (Ibidem.) ait: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum pater meus qui in cælis est.* Quid ergo insipientes hæretici garrunt? Numquid justum est ut quos Deus Pater honorat in cælis, nos dedignemur honorare in terris? Præterea cum honor exhibitus Sanctis, exhibetur

Deo qui glorificatur in honore Sanctorum. Gloriosus est enim Deus in Sanctis suis, ait Propheta Regius. (Psal. 67.) *Rursum, ad honorandos Sanctos hortatur nos Ecclesiasticus, cap. 44. dicens: Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua.* Et postquam aliquas laudes patrum veteris testamenti protulerat, statim subdit: *Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narranti laudes eorum:* Si ergo licet eos laudare, licebit etiam eos honorare quoniam laus quædam honoris species est. Nam per verba laudatoria testamur quam habeamus de illo, quem laudamus, estimacionem; quemadmodum per genuflexiones, & capitis denudationes testamur quam habemus ad alium venerationem. Accedit ad hæc ipsius universalis Ecclesiæ auctoritas, quæ dies festos in venerationem Sanctorum quotannis celebrat, & à toto populo Christiano celebrari præcipit. Et ultra hoc præceptum quod forte recens est quoad plurimos dies festos, est vestigia nimis, & sine initium memoria semper observata consuetudo, ut in veneratione Sanctorum aliqui semper fuerint dies festi celebrati. Nam hoc ipsam testantur sermones antiquorum Ecclesiæ Doctorem, quos in celebratibus Sanctorum, & in illorum laudem coram populo faciebant. Extant sermones Ambrosii, multo plures Augustini, quos in festivitatibus Sanctorum coram populo prædicarunt, ut eundem populum alliceret ad Sanctorum & imitationem & venerationem. At si Sancti non essent venerandi, Ecclesia illorum festivitates esse celebrandas nunquam præcepisset, nec Deus Ecclesiam suam, cui semper usque ad consummationem sæculi assistit, tantum errare permisisset. Ostendo ergo qualiter sacris litteris consona sit Sanctorum veneratio, superest ut ostendamus licitum esse, ne dicam meritum, Sanctos orare. Nam hoc etiam hæretici negant, quasi divinæ clementiæ derogent, quod qui Christo ministraverit, hoc honore dignus habeatur, ut pro aliis intercedat. Abraham orat pro Abimelech qui Saram illius uxorem acceperat, & exaudita est oratio Abraham. (Gen. 20.) Et in libro Job cap. 5. legitur: *Voca, si est qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere.* Quæ quidem verba quamvis illa Eliphaz Themaites ad Job dixerit, (Job 33.) non tamen ea Job reprehendit, sed consilium ejus velut sanum libenter suscipit, cum tamen alias illum de male ab eo dictis reprehenderit. Ad eundem modum Helii dixit: *Si fuerit pro eo Angelus loquens unus de millibus, & annuntiet hominis æquitatem, miserabitur ejus Deus, & dicit: Libera eum, & non descendat in corruptionem. Inveni in quo ei propitius.* Et in eodem libro cap. 42. post descriptam omnem disputationem quam Job habuit cum amicis suis, in qua illi amici Deum offenderant, statim ponitur præceptum Dei quo jussit illos ire ad ipsum Job, ut rogarent illum quatenus pro eis ad Deum orare vellet. Quod cum illi (ut Dominus præceperat) fecissent, Job pro illis orans exauditus est. Et Centurio qui puerum habebat paralyticum, (Luc. 7.) seniores Judæorum misit ad Christum ut pro salute pueri deprecarentur, eo quod se indignum putavit qui hoc impetrare posset à Christo. Cur non etiam nos de nostris meritis disidentes, ad Sanctos recurramus, ut ipsi pro nobis Deum orent, quo facilius nostras petitiones obtineamus? Sed quoniam hæc & alia sunt plurima testimonia sacre scripturæ, quibus convincitur justos viros pro aliis Deum orantes ab eo exaudiri, ad hoc asyllum confugere hæretici, ut dicant licere nobis recurrere ad Sanctos.

Sanctos viros dum hic vivunt, & illos pro nobis hic orantes exaudiri, non autem cum jam ex hac vita decellerint. Sic enim docet Oecolampadius in commentariis super Esaiam: *Hoc etiam olim, teste Hieronymo, dixit Vigilantius: Quapropter audiamus quid de illo Hieronymus referat. Sic enim in quodam libro adversus Vigilantiam ait: Dicit in libello tuo, quod dum vivimus, mutuo orare possumus: postquam autem mortui fuerimus, nullus sit pro alio exaudienda oratio, præsertim cum martyres ultionem sui sanguinis obsecrantes, impetrare nequeverunt. (Apost. 6.) Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando de se adhuc debent esse solliciti; quanto magis post victorias, coronas, & triumphos? Unus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à Domino veniam. (Exod. 32.) Et Stephanus imitator Domini sui, & primus martyr in Christo, persecutoribus veniam deprecatur. (Act. 7.) Et postquam cum Domino esse cœperit, minus valent? Paulus Apostolus ducentas septuaginta sex sibi dicitur animas condonatas. Et postquam resolutus esse cœperit cum Christo, tunc ora clausurus est, & pro iis qui in toto orbe ad suam Evangelium crediderunt, multum non poterit? Meliorque Vigilantius canis vivens, quam ille leo mortuus? Recte hoc de Ecclesiæ proponeres, si Paulum in spiritu mortuorum confiterer. Hucusque Hieronymus. Sed præter hæc quæ Hieronymus objicit, sunt alia scripturæ sacre testimonia multo apertiora ad convincendum Sanctos qui jam vita defuncti sunt, pro nobis orantes exaudiri. Jacob enim propinquus morti, cum benediceret filium suum Joseph, ait: (Gen. 48.) *Deus in cuius conspectu ambulaverunt patres mei Abraham & Isaac, Deus qui pascit me ab adolescentia mea usque in presentem diem. Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, & invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum, Abraham & Isaac: & crescant in multitudinem super terram.* In quibus verbis illud est advertendum, quod Jacob præcipit invocari super filios Joseph nomina patrum jam defunctorum: quoniam est mortui sint corpore, & mundo, vivunt tamen coram Deo. Nam & veritas in Evangelio ait: (Math. 22.) *Non est Deus mortuorum, sed vivorum. Omnes enim vivunt ei.* Præterea Moyses pro peccato populi Deum orans (Exod. 32.) sic ait: *Quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitiam populi tui. Recordare Abraham, Isaac, & Israel servorum tuorum, &c.* Sequitur infra: *Placatusque est Dominus, ne faceret malum quod loquutus fuerat adversus populum suum.* Ecce videt Moysen orantem Deum per merita patrum, videlicet Abraham, Isaac, & Jacob. Si ergo Moyse licet offerre merita patrum, quare ipsum & patres non melius offerre poterunt sua? Si dicas illos jam recepisse præmium bonorum quæ hic egerunt, nec posse amplius mereri, fateor: verum nos non dicimus Sanctos orantes exaudiri ad cumulum meritorum suorum, sed hoc dicimus eos meruisse in via, ut orantes pro nobis in patria exaudirentur. Quapropter cum exaudiuntur, potius credit illis in præmium meritorum præcedentium, quam in novum meritum. Et si eos esse extra tempus merendi est sufficiens causa ut non possint pro nobis orantes, nobis prodesse, etiam erit sufficiens causa ut illorum merita prodesse non possint, cum Moses illa pro populo orans, Deo offerrebat. Et si merita illorum prodesse poterunt cum Moyses illa offerrebat Deo, multo magis prodesse poterunt si illi offerant eadem Deo. Eodem modo etiam orabat Azarias positus in fornace accensa igni: *Ne quæsumus* (inquit*

Dan. 3.) *tradat nos in perpetuum propter nomen tuum, & ne dissipet testamentum tuum, neque auferat misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israel sanctum tuum, quibus loquutus es, pollicens quod multiplicares semen eorum sicut stellas cæli, & sicut arenam quæ est in litore maris.* Sic autem orans exauditus est, quoniam liberatus est cum sociis suis de fornace ardenti. Si merita Sanctorum jam defunctorum nihil prodesse possunt post eorum mortem, frustra Azarias Deum orans, merita illorum patrum obtulisset Deo. At cum non frustra oraverit, sed exauditus fuerit, convincitur merita Sanctorum defunctorum nobis post eorum mortem posse prodesse, quoniam hoc viventes meruerunt, ut post mortem suam nobis prodesse possent. Rursum à populo Zachariam Prophetam cap. 1. Angelus Dei orat Deum pro populo Judaico in captivitate posito, dicens: *Domine exercituum usqueque tu non miseraberis Hierosalem, & urbem Judæam quibus iratus es? Iste jam septuagesimus annus est. Quibus verbis Angelus orat Deum pro redemptione populi Judaici, ducens in retortionem Hieremias Prophetæ oraculum cap. 29.) quod ex præcepto Dei prædixerat post septuaginta annos in suam patriam & liberatam populum Judaicum fore reduendum. (Eodem modo etiam hoc loco Zachariæ Prophetæ convincitur istorum hæreticorum impudentia, qui dicunt Sanctos qui sunt in cælo non esse à nobis invocandos, quia ipsi jam non possunt Deum pro nobis orare. Ideoque dicunt inanem esse talem invocationem Sanctorum, quæ ad nihil valitura est. Istorum tamen sententiam damnat Zacharias Propheta, cum ait Angelum Domini jam beatum, orasse Deum pro populo Judaico in captivitate detento, ut illum Deus à captivitate illa eriperet. (3. Mach. 1.)*

Deinde, Onias summus Sacerdos Judæorum post mortem suam apparuit Judæ Machabæo, manus suas extendens, & orans pro omni populo Judæorum. In qua visione alius similiter apparuit eidem Onias socius, de quo ad Judam Machabæum Onias ait: (2. Mach. 15.) *Hic est fratrum amator, & populi Israel. Hic est qui multum orat pro populo, & universa sancta civitate. Hieremias Propheta Domini.* Si ergo Sancti in limbo extra statum meriti, & non adhuc Deo fruente pro suis orant, quanto libentius id facient cum jam Deo fruente, præsertim quod pro alio Deum orare, est opus charitatis? Cum ergo charitas, juxta beati Pauli sententiam, non excidat, immo perficiatur in patria, convincitur ut ibidem pro nobis multo ferventius orant, quam fecerunt dum hic viverent, aut cum in limbo fuerant.

Sed hoc testimonium ex libro Machabæorum Lutherani contemnunt, propterea quod librum illum dicunt non pertinere ad canonem Librorum sacre scripturæ, sed esse mera somnia hominis nullam habentis auctoritatem. Hoc autem falsissimum esse supra libro primo ostendimus, ubi probavimus libros Machabæorum esse vere canonicos & sacros.

Deinde beatus Joannes in Apocalypsi cap. 5. vidit quatuor animalia & viginti quatuor seniores qui ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas & phylas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. Et in eadem Apocalypsi cap. 7. vidit Angelum stantem ante altare, habentem thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei. *Et ascendit fumus incensarum de orationibus Sanctorum de manu Angelorum coram Deo.* Cum au-

verunt : *Posuimus mendacium spem nostram, mendacio pro-*
tecti sumus. Forte Calvinus reliquam historiam prætermittens,
 solis Paphnutii verbis vult contra nos agere, quibus
 ille dixit, castitatem esse concubitum cum propria uxore,
 & inde deducere conatur castos esse Sacerdotes, qui
 post Sacerdotium susceperunt uxores ducunt, & cum illis
 coeant. Sed fallitur Calvinus talem faciens collectionem,
 quoniam etsi concubitus cum uxore propria sit castus,
 tamen Sacerdos qui ante susceptum Sacerdotium non
 habebat uxorem, quando coit cum aliqua muliere, quam-
 vis se illam tunc ducere dicat; non coit cum uxore prop-
 ria: quia non potest illam ducere in uxorem, propterea
 quod Sacerdotium suscipiens seipsum fecit inhabilem ad
 matrimonium contrahendum. Sed Calvinus volens cul-
 pam sui coitus excusare, facit id quod Didonem ab Æneâ
 cognitam ad suæ fornicationis executionem dixisse, Vir-
 gilius in quarto Æneidos libro refert.

Conjugium vocat, hoc textu nomine culpam. Idem facit Calvinus, & reliqui omnes illius consortes, qui
 ut suos incestuosos concubitus excusent, illos conjugia
 vocant, cum nihil minus sint.

Octavo denique nobis objicit Calvinus exemplum
 Apostolorum, & aliorum sanctorum Episcoporum qui
 uxores habuerunt. Nam in illo suo opere sæpe citato, de
 Institut. Christiana, capitulo 3. §. 71. postquam reprehendit
 illos, qui docent, oportere Sacerdotes esse coelibes, hæc
 ait: Sed mihi antiquitatem objiciant adversarii, primum
 respondeo, hanc libertatem & sub Apostolis, & aliquot
 postea sæculis, existisse, ut conjuges essent Episcopi: hæc,
 sine difficultate usos esse Apostolos, & alios primariæ
 auctoritatis pastores, qui in eorum locum successerunt.
 Illius antiquitatis Ecclesiæ exemplum pluris merito de-
 beret esse, quam ut illicitum, vel indecorum nobis putes-
 mus, quod tunc cum laude receptum usitatumque fuit.

Hæc Calvinus. In quo argumento non minus errat, &
 mendatio nititur, quam in proximo præcedenti argu-
 mento. Nam etsi verum sit, Apostolos aliquos habuisse
 uxores, quando à Christo fuerunt ad munus Apostolatus
 assumpti, falsissimum tamen est, aliquem eorum post-
 quam fuit ad Apostolatam assumptus, novam duxisse
 uxorem. Neque umquam inter Catholicos usitatum fuit,
 ut Sacerdos uxore carens, post Sacerdotium susceptum
 uxorem duceret, sicut fecit Lutherus, Oecolampadius,
 Martinus Butzerus, Calvinus, & reliqui omnes Sacer-
 dotes Lutheranæ factionis. Et propter hanc causam illos
 accusamus, quia Sacerdotio suscepto uxores, vel, ut ve-
 rius dicam, concubinas duxerunt, quod nunquam Ec-
 clesia Catholica probavit. Calvinus tamen impudentissi-
 me mentions, dicit hoc cum magna laude receptum,
 usitatumque fuisse in Ecclesia. Peto ergo à Calvino, ut
 ex historia fide digna proferat nobis saltem unum, aut al-
 terum Sacerdotem Catholicum ex illa antiqua Ecclesia,
 qui post susceptum Sacerdotium duxerit cum laude, ut
 ille ait, uxorem, & statim cedo. Certus tamen sum quod
 nullum talem nobis proferre poterit, & ideo miror quod
 cum tanta impudentia ausus fuerit dicere, in illa anti-
 qua Ecclesia hoc cum laude receptum, usitatumque
 fuisse. Candidum ergo Lectorem precor, ut diligen-
 ter attendat, qualibus, quantisque mendacis isti hæ-
 retici populum decipere, & in suos errores trahere pro-
 curent.

Verum hic admonere oportet lectorem ne arbitretur
 nos ideo inuisse Lutherum & ejus sequaces hæreseos
 nota, quod nos credamus ex divina institutione esse ne-

cessarium coelibatum ad sacrorum Ordinum susceptionem,
 quoniam (ut jam proxime docuimus) in primordiis Ec-
 clesiæ conjugatos legimus fuisse Sacerdotes. Nam conju-
 gium non obest ex institutione divina Sacerdotio. Conci-
 lium siquidem Gangrense, capite quarto suorum Decre-
 torum, sic definit: Si quis dixerit Presbyterum conju-
 gatam, tamquam occasione nuptiarum offerre non de-
 beat, & ab ejus oblatione ideo se abstinere, anathema
 sit. Hæc Concilium Gangrense. Ex cujus decreto aper-
 tissime constat non esse ex lege divina necessarium coeli-
 batum ad sacrorum Ordinum susceptionem. Neque nos
 ob hanc causam Lutherum & ejus sequaces notavimus;
 sed ideo illos de hæresi accusamus, quia contra Ecclesiæ
 statutum de Sacerdotum continentia, illi docent Sacer-
 dotes ut matrimonia contrahant, & ad sic faciendum alli-
 ciunt, irridentque Ecclesiam eo quod tale statuerit decre-
 tum, dicuntque illam in sic statuendo errasse. Ob quam
 causam omnis qui recte (ut decet) de Ecclesiæ firmitate
 & certitudine censuerit, censetur merito illos fuisse de hæ-
 resi notatos. De hac re aliquid infra adhuc dicemus, quo-
 niam ea, de quibus in titulo de Virginitate, & in titulo
 de Votis differemus, nonihil ad hoc negotium spectare
 videntur. Sunt enim illa huic materiae valde vicina.

Quinta hæresis docet infirmum quemque Sacerdotem
 posse in absentia Episcopi exercere munus Episcopale.
 Hujus hæresis auctor est Richardus Armacanus Hiberni-
 cus, qui in libro 6. de quæstionibus Armenorum, cap.
 6. dicit minores Sacerdotes in absentia Episcopi exercere
 posse officia sacramentalia, qualia sunt consecrationes al-
 tarium, olei vel christi benedictio, ordinum collatio,
 &c.

Hic Armacanus floruit anno Domini M. CCC.LX.
 sub Carolo quarto Imperatore, & Innocentio sexto Sum-
 mo Pontifice. Eundem errorem tutatus est Joannes Vvicleph. Ad-
 versus hunc errorem sæpe jam disputavimus. Nam in ti-
 tulo De confirmatione, probavimus illud Sacramentum
 à solis Episcopis posse conferri, & non ab aliquo minore
 Sacerdote. In titulo de Episcopis, convicimus tum ex sa-
 cris litteris, tum ex Conciliorum definitionibus, Episco-
 pos esse & dignitate & potestate aliis Sacerdotibus supe-
 riores. At si minores Sacerdotes possent omnia quæ Episcopi
 faciunt, & ipsi facere, essent proculdubio illi Episcopi
 pares, neque esset inter eos ullum discrimen. Sed
 quoniam in illis locis nihil de ordinum collatione disputa-
 vimus, pro illius definitione solum proferam quoddam
 decretum Concilii secundæ Hispanensis. Nam quibus capi-
 tulo de decretorum præfati Concilii, hæc quæ sequuntur ha-
 bentur verba: Quinto judicio ad agnitionem nostri exami-
 nis, Agabrensis Diaconi relatu deductum est de quibus-
 dam ipsius Ecclesiæ Clericis, quorum dum unus ad

Presbyteri, duo ad Levitarum ministerium facerentur, Episcopus
 eorum oculorum dolore detentus ferrum manum suam
 super os tantum posuisset, & Presbyter quidam
 contra Ecclesiasticum ordinem benedictionem dedisse,
 qui licet propter tantam præsumptionis audaciam poterat
 accusatus præfati judicio damnari, si adhuc in corpore
 posset, non fuisset mortis vocatione præventus, sed
 quia jam ille examini divino relictus, humano judicio
 accusari non potest, hi qui supersunt, & ab eo non consecra-
 tionis titulum, sed ignominia: elogium perceperunt, ne
 sibi licentiam talis usurpatio faciat, decrevimus ut à gra-
 du sacerdotali vel Levitico ordinis, quem per verbe adepta
 sunt, depositi, æquo judicio abjiciantur. Tales enim

merito judicati sunt removendi, quia prave inventi sunt
 constituti. Hæc Concilium Hispanense. Ecce de ordinum
 collatione Concilii definitionem, per quam decernitur eos
 non esse ordinaros quibus Episcopus manus imposuit,
 quoniam benedictionem non ab Episcopo, sed à Presbyte-
 ro receperunt. Post tanti ergo Concilii definitionem in-
 justum esset nos amplius de hac re disputare. Quod si
 forte lector curiosus plura de hac re nosse cupit, legat
 Thomam Vvalden. in libro de sacramentalibus, titulo 7.
 quoniam illo loco præfatus auctor satis copiose de hac re
 disputat adversus Armacanum & Joannem Vviclephum.

SACRAMENTA.

ILLE antiquus humani generis hostis invidiam huma-
 nae gloriæ semel conceptam nunquam deposuit, &
 ita quacumque potest semper homini nocere satagit, &
 illum à consecratione æternæ beatitudinis impediendo
 nititur. Quapropter perspicuus dæmon quantum ad jariorum
 præbent hominibus Sacramenta quæ Deus illis reliquit
 ad consecutionem vitæ æternæ, omni qua potuit via ten-
 tavit homines ab illorum perceptione & usu abducere.
 Ut autem hoc melius faceret, quosdam hæreticos dece-
 pit, quos tamquam suæ militiæ principes instituit, per
 eorum manus alios, quos possit, vberter Catholicos &
 fideles. Puerunt enim plures hæretici qui Sacramenta
 Ecclesiæ omnia negarent, ut Cathari, non inquam illi
 Cathari qui alio nomine vocantur Novatiani, sed alii mul-
 ti illis recentiores, de quibus jam alias diximus. Alii
 fuerunt hæretici qui etsi aliqua admittant Sacramenta,
 plura tamen alia negant, prout jam ostendimus cum de
 unoquoque Sacramento in propriis eorum titulis differui-
 mus. Alii rursus aliqua Sacramenta admittentes, negant
 aliquot eorum conferre gratiam suscipienti, quantumli-
 bet ad illius susceptionem præparet animam suam. Hujus
 erroris auctores sunt Armeni. Istorum errorem tamdiu ab
 Ecclesia explosum recepit tutandum Martinus Luthe-
 rus, qui talia de Sacramentis verba profert: Hæretica est,
 sed usitata sententia, Sacramenta novæ legis dare gratiam
 illis qui non ponunt obicem. Hæc Lutherus. Quapro-
 pter videtur mihi esse Lutherus tamquam alter Nabuzar-
 dam princeps militiæ Nabuchodonosor Regis Babylonis,
 qui muros Hierusalem in circuitu destruxit, & succendit
 domum Domini, & sustulit omnia vasa aurea & argentea
 & ærea, in quibus ministrabant Sacerdotes in templo Do-
 mino. (4. Reg. 26.) Quid aliud sunt Sacramenta, & alia
 Ecclesiæ cæremoniæ quam vasa quædam in quibus Deo
 in hæc vita ministratur? Vasa inquam aurea & argentea
 sunt Sacramenta: reliquæ autem omnes Ecclesiasticæ cæ-
 remoniæ vasa sunt ærea. Quæ omnia cum Lutherus ab
 Ecclesia auferre conatur, aperte demonstrat se esse alte-
 rum Nabuzardam, unum videlicet ex principibus diabo-
 licæ militiæ. Adversus hanc pestiferam hæresim, & si de
 quolibet Sacramento sigillatim disputatum sit, tamen hoc
 impræsentiarum agendum est, ut ostendamus brevissime
 de omnibus Sacramentis in genere, ea fore pro Sacramen-
 tis habenda quæ sancta mater Ecclesia velut talia recipit
 & tuetur. Nam quod Ecclesia non potest errare ex Dei
 adjutorio illi assistente, præsertim in illis in quibus oportet
 non errare; jam alias sæpe ostendimus. Et ex hoc col-
 ligimus Ecclesiam habere facultatem discernendi divinas
 scripturas ab humanis, verumque earum sensum à falso,
 Deo illam quoties illustrante, ne videlicet erret in his,
 in quibus error fuisset periculosus. At nullibi periculosior

fuisse jactura, quam si falsa pro veris Sacramenta, &
 traditiones hominum, immo signa diaboli pro traditi-
 onibus Dei Ecclesiæ recepisset, quoniam tunc spem suam
 Ecclesia in fictis ac vanis corporalium rerum signis, prout
 magi faciunt, tamquam in Christi Sacramentis collocasset.
 Si ergo Ecclesia hanc habet à Deo collatam potestatem,
 ut verba Dei à verbis hominum discernat, necessarium
 est etiam fateri illam etiam hanc habere potestatem à Deo
 similiter illi collatam, ut traditiones Dei discernat à tra-
 ditionibus hominum. Nam alias utrobique posset pari ra-
 tione vitandus error oriri. Christus enim suæ Ecclesiæ us-
 que ad consummationem sæculi assistens, non solum hoc
 agit ut Ecclesia hoc aut illo modo non erret, sed ne erret
 ullo. At nullibi majore cum injuria Christi posset errare,
 quam si fiduciam in illo ponendam solo, ponat in signis
 nulla profus fultis gratia, sed omni bono fidei vacuis at-
 que inanibus, quoniam id notissima esset idololatria, quam
 Deus super omnia alia vitia abominatur. Colligitur ergo
 Ecclesiam non posse errare in suscipiendis Sacramentis si-
 dei, non inquam magis quam in suscipiendis scripturis divi-
 nis, in quibus discernendis eam non posse errare jam alias
 ostendimus. Quapropter merito decretum est ut quisquis
 aliter senserit de Sacramentis Ecclesiæ quam sancta Ro-
 mana Ecclesia sentit, hæreticus reputetur. Et quia contra
 singulas hæreses, quæ adversus singula Sacramenta
 exortæ sunt, jam suis locis disputabimus, non est opus
 ut nunc aliquid addamus: sed satis erit citare Canones,
 quos Concilium Tridentinum sub Paulo tertio celebratum
 sessione septima protulit pro assertionem Sacramentorum,
 & sunt qui sequuntur.

Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuisse omnia
 à Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura
 vel pauciora quam septem, videlicet Baptismum, Con-
 firmationem, Eucharistiam, Penitentiam, Extremam un-
 ctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam ali-
 quod horum septem non esse vere & proprie Sacramen-
 tum, anathema sit.

Si quis dixerit ea ipsa novæ legis Sacramenta, à Sa-
 cramentis antiquæ legis non differre, nisi quia cæremonia
 sunt alia, & alii ritus externi, anathema sit.

Si quis dixerit hæc septem Sacramenta ita esse inter se
 paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit.

Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non esse ad sa-
 lutem necessaria, sed superflua: & sine eis aut eorum
 voto, per solam fidem, homines à Deo gratiam justifica-
 tionis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint,
 anathema sit.

Si quis dixerit, hæc Sacramenta propter solam fidem
 nutriendam instituta fuisse, anathema sit.

Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere
 gratiam, quam significant: aut gratiam ipsam, non po-
 nentibus obicem, non conferre, quasi signa tantum ex-
 terna sint acceptæ per fidem gratiæ, vel justitiæ, &
 novæ quædam Christianæ professionis, quibus apud ho-
 mines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit.

Si quis dixerit, non dari gratiam, per hujusmodi
 Sacramenta, semper & omnibus, quantum est ex Dei
 parte, etiam si ea rite suscipiant: sed aliquando & aliqui-
 bus, anathema sit.

Si quis dixerit, per ipsa novæ legis Sacramenta, ex
 apere operato non conferri gratiam: sed solam fidem divi-
 næ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, ana-
 thema sit.

Post ipsos Canones, qui ad omnia simul Sacramenta
 spec-

deat epistolam illam esse Jacobi, cum tot illustres viri, sique vetustissimi testentur esse Jacobi. Hieronymus in libro de meritis, & peccatorum remissionibus, citat testimonium ex hac epistola sub nomine Jacobi. Hieronymus in epistola ad Cresiphontem disputans contra Pelagianos, utitur testimonio hujus epistolæ. Urbanus Papa hujus nominis primus, vir martyrio clarus, in epistola de communi vita & oblatione fidelium, citat testimonium ex hac epistola, sub nomine Jacobi Apostoli. Et Anacletus Papa & Martyr, qui (ut ipse in quadam epistola testatur) fuit à beato Petro Apostolo Presbyter ordinatus, in epistola de oppressione Episcoporum circa medium, citat etiam testimonium ex hac epistola sub nomine Jacobi. Justus est ergo, ut his sanctissimis & vetustissimis testibus credamus, quam uti Lutherò fatuo, atque amenti, præsertim cum de hac re extet totius Ecclesiæ definitio, quæ illam epistolam sub nomine Jacobi inter canonicas scripturas collocauit.

Oclava hæresis non recipit Joannis Evangelium, nec illius Apocalypsim. Hujus hæresis auctores dicti sunt Alogiani, eo quod filium Dei negabant esse verbum. Nam Logos Græce, idem est quod Latine sermo, sive verbum: hinc Alogiani dicti sunt, tamquam sine verbo. Cum ergo Evangelium Joannis apertissime testetur filium Dei esse verbum, ideo illi negant Joannem scripsisse Evangelium, negant etiam eum scripsisse Apocalypsim. Eusebius Cæsariensis, lib. 7. historię Ecclesiasticę refert fuisse aliquos, qui Apocalypsim Joannis rejecerint, dicentes nihil in illa esse Apocalypsicę gravitate dignum, sed librum esse à Cerintho hæretico fictum dicebant. Sed hoc non ita esse, præter Ecclesiæ definitionem, quæ maximum est testimonium, plures sacri vetustissimique scriptores testantur, qui Apocalypsim tamquam scripturam sacram, & à beato Joanne compositam, interpretati sunt. Omittio recentiores, quibus non tanta fides in hac parte debetur. Augustinus interpretatus est sub nomine beati Joannis, quam quomodo dicit illum dubitasse an fuerit Joannis Apostoli, an alterius Joannis, sancti quidem viri, non tamen Apostoli. Cajuscumque tamen fuerit, dicit illum fateri scripturam illam esse sacram, & velut talem ab illo fuisse receptam. Melito Arianus Sardenis Episcopus, & Hippolytus, & Irenæus, hi omnes, teste Hieronymo in libro de viris illustribus, Apocalypsim Joannis sunt interpretati. Sed licet horum virorum testimonia magnam habeant vim ad hanc rem stabilendam, multo tamen majoris auctoritatis est ipsius Ecclesiæ testimonium. Concilium namque Toletanum quartum, cap. 16. suorum decretorum de hac re ita definit: Apocalypsim librum, multorum Concilio- rum auctoritas, synodica sanctorum præfulum Romano- rum decreta, Joannis Evangelistę esse præscribunt, & inter divinos libros recipiendam constituerunt. Et quia plurimi sunt, qui ejus auctoritatem non recipiant, eam- que in Ecclesia Dei prædicare constituerunt: si quis deinceps, aut non receperit, aut à Pascha usque ad Pentecosten in Ecclesia non prædicaverit, excommunicationis sententiam habebit. Hęc Concilium Toletanum. Franciscus Titelmannus ordinis Minorum, scripsit libellum pro assertionem hujus libri contra Erasmodum Roterodamum, qui in annotationibus super novum testamentum auctoritati Apocalypsis derogare conatus est. Titelmannus autem in illo libello multis evidentibusque rationibus convincit, illum librum esse inter canonicas sacrę scripturę libros

connumerandum, & à Joanne Evangelistâ fuisse æditum. Deinde respondet objectionibus, quas Erasmodus contra illum librum protulerat, & illas nullius esse momenti aperite demonstrat.

Adversus omnes has hæreses, quæ ex catholico- rum librorum aliquem librum auferre conantur, non est opus nunc disputare, quoniam illa quæ supra in lib. 1. cap. 2. diximus, sufficient ad omnes has hæreses refellendas. Ibi enim adduximus aliqua Concilia, videlicet Laodicenum, & Carthagenensium tertium, Florentinum & Tridentinum, ex quibus constat omnes hos libros, quos modo narravimus, fuisse à variis hæreticis rejectos, esse ex canone sacrę scripturę. Quanta autem sit in hac parte Ecclesiæ auctoritas, non est nunc opus ostendere, cum non sit alia res in qua magis Ecclesiæ auctoritas pateat. Vulgatissimum est illud Augustini: Evangelio non crederem, nisi Ecclesię crederem. Non enim aliunde quis scire valet (sectula Dei revelatione) talem, aut talem scripturam esse Evangelium, nisi ab Ecclesiâ dicente nobis illam scripturam esse Evangelium. Cum ergo Ecclesiâ jam nos docuerit, omnes hos, quos modo numeravimus libros, esse canonicos, & sacros, non est quod aliquis citra hæresim illis repugnare quomodolibet valeat.

SCIENTIA.

Nihil est quod non temerari Lutherus, qui non est contentus omnia hominum opera damnare, & de peccato notare, nisi etiam scientias omnes infamasset. Nam dicit scientias omnes speculativas, errores esse dicendas. Quis jam ferre poterit hominem tam temerarium & effrontem, qui non solum ea quæ fides docet, & negat, sed illa quæ sunt evidenti veritate manifestata, condemnat? Credo firmiter illum nescire quid sit error: quoniam si scivisset, nequaquam dixisset omnes speculativas scientias esse errores. Pugnans enim inter se scientia & error: quod sit nūquam in unum coire possint. Si scientia est, error esse non potest: si error est, scientia immerito dicitur. Et ut hæc aperta sint, audiamus Augustinum dicentem quid sit error. Errare (inquit ille Enchiridio, cap. 17.) est approbare falsa pro veris, aut improbare vera pro falsis, aut habere incerta pro certis, aut certa pro incertis. Hęc Augustinus. Cum ergo scientiæ plures speculativę doceant multas veritates evidentissimas, quomodo dicentur errores? Vera sunt quæ docent & certa, & evidentissimę manifesta, sicut sunt illa quæ docentur in Arithmetica & Geometria: non sunt ego illæ de errore notandę. Sed ut mendacium suum aliquo colore depingat, dicit propterea scientias omnes censeri ab eo errores, quia procedunt necessario ex corde malo, & nondum sanato gratiam. Nam juxta illum (ut supra in titulo de operibus, & titulo de peccato docuimus) omnia opera quamlibet bona sunt peccata: & justus in omni bono opere peccat. Et propter hanc eandem causam, docet omnes scientias speculativas esse censendas errores, quia ex corde malo per gratiam nondum plene in hac vita sanato procedunt. Quæ argumentatio si bene colligeret, probaret omnes mechanicas artes, immo & omnes artes liberales, Grammaticam scilicet, Logicam, Rhetoricam, esse errores, & mathematicas disciplinas, quæ sunt omnium certissimę: sed hoc arguit Paulus, qui in ea quæ est ad Romanos epistola, (cap. 7.) ait: Lex peccatum est? Absit: sed peccatum non cognovi nisi per legem: (inquam) vocalem, aut scriptam, aut mentalem. At cum lex doceat nos cognoscere peccatum, scientia merito di-

cet. Et hanc Paulus negat esse peccatum. Non ergo omnis scientia dicenda est error, etiam si à peccatore procedat. Præterea, etsi daremus Luthero omnem hominem esse peccato depravatam, non propterea cogemur concedere, omnia quæ ab homine peccatore procedunt, esse peccata & errores: quia non necessario procedunt ab homine, secundum id quo malus est: sed possunt ab illo oriri, secundum id quo bonus est, puta secundum dona naturę, secundum quod illa rationalis est, & capax disciplinę, per quam virtutem naturalem nil obstat, quin homo malus bonam artem invenire possit, & veram & certam scientiam intelligere & docere. Nam juxta divinum Dionysium) naturalia in dæmonibus manserunt integra, etiam postquam obdurate sunt in peccato. Non igitur mirum, si in hominibus adhuc viatoribus, quantumlibet peccato depravatis, natura sit capax veritatis, præsertim cum tot sint artes & scientię generi humano utilisimę, cum aliis multis illius ejusdem clasis damnavit facultas Theologię Parisiensis: hoc idem fecit Academia Lovaniensis. Nec dignum putavi amplius pro hac re dilatare.

SEPULTURA.

Aeneas Sylvius in libro de origine Bohemorum, cap. 35. errores Vvaldensium recensens, hunc inter alios miscet, quo illos asserere ait, nihil distare quacumque tellure corpora humana sepeliantur, sive locus sit sacrus, sive non. Et certe nescio an hæc assertio hæresis dici mereatur: quoniam sic hoc solum docet, quod locus nihil faciat ad augendam, vel minuendam animę miseriam, verum est quod ait. Nam hoc ipsum docet Augustinus, libro de cura pro mortuis agenda. Et libro 1. de Civitate Dei, cap. 12. eandem astruit sententiam, sic inquit: (Matth. 10.) Nullo modo enim diceret veritas: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: si quicquam obisset vitę futurę, quicquid inimici de corporibus occisorum facere potuissent. Nisi forte quispiam sic absurdus est, ut contendant eos, qui corpus occidunt, non debere timeri ante mortem, ne corpus occidant: & timeri debere post mortem, ne corpus occisum sepeliri non sinant. Falsum est ergo, quod ait Christus: Qui corpus occidunt, & postea non habent quid faciant, si habent tanta quæ de cadaveribus faciãt. Absit ut falsum sit quod veritas dixit. Et quibusdam interpositis, subdit: proinde ista omnia: id est, curatio funeris, conditio sepulturę, pompa exequiarum, magis vivorum solatia sunt, quam subditorum, diu mortuorum. Si aliquid prodest impio sepultura pretiosa, oberit pio vilis, aut nulla. Hęc Augustinus. Et hoc ipsum quod modo dixit, funera magis esse vivorum solatia, quam mortuorum subsidia, in libro de cura pro mortuis agenda, cap. 7. iterum confirmat, sic inquit: Et tamen ex illo humani cordis affectu, quo nemo umquam carnem suam odio habuit, si cognoscant homines aliquid post mortem suam, suis corporibus suorumque defunctorum deesse, quod in sua cuiusque gente, vel patria possit solemnitas sepulturę, contristantur homines, & quod ad eos post mortem non pertinet, ante mortem suis corporibus timent, ita ut inventiam in libris Regum, (3. Reg. 13.) Deum per Prophetam minari al-

teri Prophete, qui ejus transgressus est verbum, quod non inferretur cadaver ejus in sepulchrum patrum ejus.

Et post pauca subdit Augustinus: quanti hæc pœna pendenda sit, si secundum Evangelium cogitemus, ubi post corpus occisum nihil movendum esse diximus, ne membra exanima patiantur, nec pœna dicenda est: si autem humanum erga suam carnem consideremus affectum, potuit inde terri vel contritari vivus, quod sensurus non erat mortuus: & hæc pœna erat, quoniam dolebat animus id de suo corpore futurum, quamvis cum fieret non doleret. Hactenus Augustinus. Ex cuius verbis aperte satis patet, locum sepulturę nihil prodesse animę ad gloriam, vel miseriam ejus augendam, vel minuendam.

Et hoc idem docet Innocentius Papa hujus nominis tertius, sic inquit: Licet non obstitit sepultura nulla, vel vilis, impiis tamen celebris, ut speciosa non prodest. Hęc ille. Itaque si hoc solum Vvaldenses dixerunt, nihil videlicet prodesse corporum sepulturam ad gloriam animę augendam, vel miseriam inferni minuendam, bene quidem senserunt, neque illorum sententiã esset de hæresi notanda. Verum quoniam absolute dixerunt nihil prodesse animę, quod corpus in loco sacro sepeliatur, ideo merito illorum sententiã damnatur: quoniam etsi non proficit ad gloriam animę augendam, aliam tamen habet non contemnendam utilitatem. Nam vivi qui locum sacrum ingrediuntur, in quo corpus sepulchrum est, quoties recolunt ubi sepulchrum sit amici, vel consanguinei corpus, & venit in mentem sanctus, aut sancta, in cuius honorem ille locus saceratus est, illi sancto, aut sanctę animam dilectam commendant, ut Deum pro illa intercedere dignetur. Nec dubium est tales orationes illis prodesse, qui in statu salutis decesserunt, quoniam cum hic viverent, hoc meruerunt, ut talia sibi post hanc vitam prodesse possent: quamvis & hoc vivi facere possint pro illis, qui in locis sacris non sunt sepulti: sed non ita recordarentur nisi illos, ut ita faciant, admoneat sepultura. Nec cum sepulchra in locis sacris vivunt, defuncti qui illic sepulti sunt, ad memoriam revocantur: & si ibi sepulti non essent, forte nulla esset in loco sacro defunctorum memoria. Si autem extra locum sacrum illum meminisse contingat, animus tamen non sibi tam paratus esse, ut Deum pro illis precetur. Propter hoc enim sepulchra monumenta Latine dicuntur, quod moneant mentem, & vivos admonent, ut illic sepulchrorum recordentur. Quod si tanta propinquorum & amicorum habeatur oblitio, ut etiam defunctorum sepulchris inspectis, non meminerint Deum pro illis orare, est adhuc aliud quod manifeste cadaveribus in locis sacris sepultis prodesse possit: suffragia scilicet quæ in unoquoque sacro loco ab illius loci ministris fieri solent pro illis, qui intra septa suorum cœciteriorum sunt sepulti. Propter hanc causam sicut semper religio fuit corpora sepelire: ita etiam religio fuit, quo loco sepelienda forent, considerare, ne ab impiis fideles mortui, perinde ac vivi discernerentur. Et hoc non solum à Christianis, verum etiam à Judæis fuit observatum. Nam Patriarchę de suorum corporum sepultura anxie dum viverent curaverunt. (Genes. 22.) (Genes. 50.) (Job. 12.) Abraham siquidem agrum emit ab Ephron Etheo quadringentis siclis argenti in sepulturam Sarę uxoris suę, in quo Jacob illius nepos sepeliri se jussit, & Tobias mortuos sepeliendo, Deum promeruit. Hanc suorum corporum sepulturam Patriarchę reliqui & Prophete curaverunt. Sed & apud sanctorum cadavera sepeliri optimum censebant: sicut de Propheta illo Samaritę, quem

illis suis præcipisse Regum narrat historia: *Sepelite* (inquit 3. Reg. 23.) *me quum mortuus fuero, in sepulchro in quo vir Dei sepultus est: juxta ossa ejus ponite ossa mea.* Quæ res profuit illi: quoniam Josias Rex cum templa Idolorum everteret post multos annos, & honorem Prophetæ sancto deferret, jussit ut alterius Prophetæ, qui juxta illum sepultus erat, ossa intacta manerent. (4. Reg. 27.) Et ex triginta argenteis à Juda proditore relatis, (Matth. 27.) Principes Sacerdotum emerant agrum sigilli in sepulchram peregrinorum, ne aut insepulti manerent, aut in prophano loco sepelirentur. Et hoc satis.

SILENTIUM.

Fuerant quidam hæretici in tantum silentio studentes, ut digitum naribus & labiis suis opposentes, silentium quasi semper exercuerint, non aliæ rei quam taciturnitatis studium accommodantes. Qua in re se Prophetas imitari dicebant, quoniam David Propheta ait: (Psal. 144.) *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.* Hi hæretici Græca voce vocati sunt Patalorinchitæ; patalos Græcè, Latine dicitur palus, rhinchos est nasus. Constat ergo ideo dictos esse Patalorinchitas, quasi palum, vel digitum in modum pali super narem ponentes. Ex quo patet hanc vocem in Philastro esse depravatam propter librariorum ignorantiam: quoniam apud Philastrum vocantur Passalorinchitæ, cum tamen Augustinus vocet eos Patalorinchitas: reddens hanc vocis etymologiam, quam nos proxime descripsimus.

Quo autem tempore hæc hæresis coeperit, aut quis illius fuerit inventor, nec Philaster, neque Augustinus expressit.

Ut autem de eorum assertionem dicam, magis mihi videntur hi Patalorinchitæ sequi Pythagoram vanitatem, quam Prophetarum sapientiam & pietatem. Nam illud Prophetæ quod ex Psalmis citavimus, minime illis suffragatur. Non enim petit Propheta in custodiendo laborum suorum murum, sed ostium. *Pone* (inquit Psalmista) *custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.* Non dixit murum, quoniam si petiisset murum, omnem videtur loquendi facultatem à se abjecisse. Sed dixit ostium, & non quaecumque, sed circumstantiæ, quod videlicet loco & tempore aperiri valeat. Quibus verbis solam moderatam & temperatam petivisti loquutionem, & non perpetuum silentium: ut videlicet cum tacendum esset, taceret: cum oporteret loqui, loqueretur. Nam (ut ejusdem Prophetæ filius post eum docuit) tempus est loquendi, quemadmodum & tacendi. (Ecclesi. 3.) Et si taciturnitas esset semper commendatione digna, numquam Esaias deplorasset observatum à se silentium, dicens cap. 6. *Va mihi quia taci.* Certe adversus tam vanam superpositionem piget amplius disputare. Hujus hæresis numquam meminit Guido Carmelita in sua Summa de Hæresibus, cum tamen Augustinus, quem ille in recensendis hæresibus imitatur, illam sexagesimo tertio loco inter alias hæreses collocaverit.

SIMONIA.

FUIT quedam execranda hæresis, qua creditum est spiritualia Dei dona posse pecunia comparari. Hujus hæresis auctor fuit Simon ille Magus, de quo in Actibus Apostolorum dicitur, quod postquam baptizatus

fuerat in Samaria à Philippo Diacono, videns quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit Apostolis pecuniam, dicens: (Act. 8.) *Date & mihi hanc potestatem, ut cuiusque imposero manus, accipiat Spiritum Sanctum.* Quia ergo hic primus post susceptum baptismum credidit spiritualia esse venalia, ideo peccatum illud & hæresis ab illo nomen accepit, ut à Simone simonia dicatur. In eundem errorem labuntur Græci, qui teste Guidone Carmelita, dicunt licere prælationes Ecclesiasticas vendere, & sic ab eorum Patriarcha fieri asserit. Eodem notatur errore Armeni. Et hæc prima fuit hæresis, quæ post Christi in Cælos ascensionem in Ecclesia est orta, quam statim beatus Petrus redarguit, (Act. 8.) dicens: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei exstima pecuniam possideri.* Et statim illum declaravit excommunicatum, & à confortio fidelium ejectum, ideoque subdit illi, dicens: *Non est enim tibi pars, neque fors in sermone isto, hoc est in sermone fidei. Cor enim tuum non est rectum coram Deo. Penitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In selle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis video te esse.* Præterea Giezi famulus Prophetæ Helisæi fuit à Deo lepra perpetua percussus, (4. Reg. 5.) quia pecuniam cepit pro beneficio sanitatis quod Helisæus conulerat Naaman leproso. Rursum ipse veritatis Magister discipulos suos ad prædicandum mittens, postquam illis dedit potestatem curandi infirmos, sanandi leproso, eijciendi dæmonia, statim subjunxit, (Mat. 10.) dicens: *Gratis accepistis, gratis date.*

Deinde, cum in omni emptione rerum & venditione servanda sit in pretio rerum æqualitas, convincitur ut is qui credit spiritualia Dei dona posse pretio comparari, credat etiam pecuniam esse æque bonam & æque pretiosam sicut spiritualia Dei dona. At Sapiens in Proverbis, cap. 8. contrarium sentit, dicens: *Accipite disciplinam meam, & non pecuniam: doctrinam magis quam aurum eligit. Melior est enim sapientia cunctis opibus pretiosissimis, & omnino desiderabile ei non potest comparari.* Unde Tharastus Constantinopolitanus Episcopus in quadam epistola ad Hadrianum Papam, sic ait: *Tolerabilior est Macedoniis, & eorum qui circa ipsum sunt, Sancti Spiritus impugnatorum, hæresis impia. Illi enim creaturam & servum Dei Patris & Filii Spiritum Sanctum delirando fatentur: isti vero eundem Spiritum Sanctum efficiunt suum servum. Omnis enim Dominus quod habet, si vult, vendit, sive servum, sive aliquid aliud eorum quæ possidet. Similiter & qui emit, dominus ejus volens esse quod emerit, per pretium pecunie illud acquirit. Hæc ille. Quæ verba citantur à Gratiano in volumine decretorum in prima causa, quæstione etiam prima, cap. Eos. Cum ergo tam grave peccatum sit simonia, per quam tam perverba de Deo habetur opinio, ideo iustissime multis Conciliorum decretis cautum est, ne pro alicujus rei spiritualis collatione aliquod pretium recipiatur. Concilium namque Elibertinum, cap. 48. suorum Decretorum, sic ait: *Emendare placuit, ut hi qui baptizantur (ut fieri solebat) nummos in concham non mittant, ne Sacerdos quod gratis accepit, pretio distrahere videatur. Hæc ibi. Concilium Toleranum undecimum, cap. 8. suorum Decretorum, sic definit: *Quicquid invisibilis gratiæ collatione tribuitur numquam quaestu, vel quibuslibet præmiis venditari peritus debet, dicente Domino: (Mat. 10.) Quod gratis accepistis, gratis date.* Et ideo quicumque deinceps in Ecclesiastico ordine constitutus, aut pro baptizandis, config-**

mandisque fidelibus, aut collatione chrismatum, vel promotionibus graduum, premia quælibet vel premia, nisi voluntarie oblata pro hujusmodi ambitione, susceperit, equidem si sciente loci Episcopo tale quicquam à subditis perpetratur, idem Episcopus duobus mensibus excommunicationi subjaceat, pro eo quod scienter mala contexit, & correptionem necessariam non adhibuit. Sin autem suorum quispian eodem nesciente de supradictis quodcumque capitulis accipiendum esse sibi crederit, si Presbyter est, trium mensium excommunicatione plectatur: si Diaconus, quatuor. Subdiaconus vero, vel Clericus his cupiditatibus serviens, & competente poena & debita excommunicatione plectendus est. Hæc Concilium Toletanum. Et Concilium Braccarense secundum, cap. 3. item decrevit esse faciendum. Sed de hac re satis. Contra Simoniacos scriptum librum unum Petrus Damianus ex Monacho Benedictino Cardinalis & Episcopus Hostiensis. Hunc tamen librum fateor me non vidisse, sed testimonio Joannis Thirithemii, in libro de Ecclesiasticis Scripitoribus, id asserentis, dixi.

re sperat? Numquid propter solam Domini in cuius agro laborat, bonitatem & misericordiam? Non certe, fed etiam propter suum laborem. Sperat quidem in bonitate Domini, quoniam nisi illi credidisset, & in promissis illius confidisset, numquam in agro illius laborasset. Verum etsi illius fidem exploratam habeat, & misericordiam & bonitatem agnoscat: scit tamen certo illum mercedem non darum nisi in agro illius laboraverit: & propter hoc dictis Domini fidens, sperat se propter labores suos mercedem accepturum. Ad hunc modum iusti omnes faciunt, qui in bonitate Domini & clementia confidunt, quod gloriam illis dabit æternam. Verum quia sciunt quod tam magnam mercedem non dabit pigris & inertibus, ideo laborare satagunt, ut per labores suos gloriam assequi mereantur. Hinc apud Job, cap. 7. dicitur: *Militia est vita hominis super terram, & sicut mercenarii dies ejus.* Quæ verba pertractans beatus Gregorius in Moralibus, ait: „Sciendum quoque quod mercenarius sollicitè curat inspicere ne unquam dies „vacuus labatur ab opere, & spectatæ finis temporis, „ne inanis veniat ad remunerationem. In laboris namque „studio conspicit quid percipere in tempore remunerationis possit. Nam cum opus crescit, præmii fiducia proficit. Cum vero opus torquerit, spes à remuneratione „labascit. Unde & electus quique vitam suam quasi „mercenarii dies pensans, tanto fidentius spe tendit ad „premium, quanto nunc robustius perdurat ad laboris „incrementum. Qui sic decursus præsentis temporis, „pensat, dies cum operibus numerat. Ne à labore vacua „transeat vitæ momenta, formidat. Adversus gaudet, „passione reficitur, mœrore fovetur: quia subsequens „vitæ præmiis tanto fe remunerari largius conspicit. quanto pro amore illius quotidianis se moribus verius im- „pendit. Hinc namque est quod cives supernæ patriæ, „conditori ejus, Psalmistæ vocibus dicunt: (Psal. 43.) „Propter te mortificamur tota die. Hinc Paulus ait: (1. „Cor. 15.) Quotidie morior propter gloriam vestram fratres. „Hinc iterum dicit: (2. Tim. 1.) Ob quam causam hæc „patior, sed non confundor. Scio enim cui credidi, & certus „sum quia potens est depositum meum servare in illum diem.

S P E S.

TOT sunt perverba Lutheri dogmata, ut vix sit res aliqua ad fidem, aut mores pertinens, de qua non docerit impium aliquid Lutherus. Male quidem sentit de virtute fidei, male docet de charitate: pessime etiam docet de spe. Dicit enim spem non procedere ex meritis. Nec mirum quod hæc doceat: quoniam fieri nequit, ut ex impuro & corrupto fonte puram quis hauriat aquam, aut ex putrida arboris radice bonos colligat fructus. Lutherus autem dixerat omnia nostra opera nihil profus valere: nam omnia opera nostra dicit esse peccata: ac proinde consequens est, ut nullus jam (juxta illum) operibus fidat, aut propter illa aliquid à Deo consequatur se speret. Totam enim spem suam Lutherus in fide collocat: & sic (ut alias diximus) fidem extollit, ut profus operibus detrahat: & ob hanc causam docet, nequaquam spem nostram esse in operibus figendam. Quo fit, ut dum nimium fidei tribuat, spem omnino evertat: quoniam loco spei docet præsumptionem, cum homines absque operibus docet gloriam sperare. Nam etsi opera suapte natura indigna sunt quæ tanta mercede, quanta est gloria celestis, donentur: tamen propter conventionem quam Deus cum hominibus fecit, qua gloriam bene operantibus se daturum promissit, jam nostra opera gloria digna censentur. Nam bonus ille paterfamilias conventionem fecit cum operariis ex denario diurno. (Mat. 10.) Et cum operarii qui primo mane venerant, sperarent se aliquid amplius accepturos, dixit uni ex illis paterfamilias: *Nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est, & vade: Amicè non facio tibi injuriam.* Injuriam quidem se fuisse facturum censet, si juxta conventionem denarium non dedisset. Propter hanc causam dixit denarium esse mercenarii debitum, sic inquit: *Tolle quod tuum est.* Quid tuum? certe denarium, nam ex illo convenerat. Propter hanc eandem causam alibi dicit idem Salvator: (Mat. 10.) *Dignus est mercenarius mercede sua.* Ex quibus omnibus constat, gloriam esse debitam iusto, velut mercedem mercenariis. Debitam quidem, quia promissa: quoniam nisi promissa esset, debita non esset. Nunc ergo hoc factio fundamentum, percontari volo Lutherum, quid mercenarius qui in alieno agro deludat, speret. Certum est illum sperare mercedem sui laboris: pro hac enim laborat. Sed qua-

re sperat? Numquid propter solam Domini in cuius agro laborat, bonitatem & misericordiam? Non certe, fed etiam propter suum laborem. Sperat quidem in bonitate Domini, quoniam nisi illi credidisset, & in promissis illius confidisset, numquam in agro illius laborasset. Verum etsi illius fidem exploratam habeat, & misericordiam & bonitatem agnoscat: scit tamen certo illum mercedem non darum nisi in agro illius laboraverit: & propter hoc dictis Domini fidens, sperat se propter labores suos mercedem accepturum. Ad hunc modum iusti omnes faciunt, qui in bonitate Domini & clementia confidunt, quod gloriam illis dabit æternam. Verum quia sciunt quod tam magnam mercedem non dabit pigris & inertibus, ideo laborare satagunt, ut per labores suos gloriam assequi mereantur. Hinc apud Job, cap. 7. dicitur: *Militia est vita hominis super terram, & sicut mercenarii dies ejus.* Quæ verba pertractans beatus Gregorius in Moralibus, ait: „Sciendum quoque quod mercenarius sollicitè curat inspicere ne unquam dies „vacuus labatur ab opere, & spectatæ finis temporis, „ne inanis veniat ad remunerationem. In laboris namque „studio conspicit quid percipere in tempore remunerationis possit. Nam cum opus crescit, præmii fiducia proficit. Cum vero opus torquerit, spes à remuneratione „labascit. Unde & electus quique vitam suam quasi „mercenarii dies pensans, tanto fidentius spe tendit ad „premium, quanto nunc robustius perdurat ad laboris „incrementum. Qui sic decursus præsentis temporis, „pensat, dies cum operibus numerat. Ne à labore vacua „transeat vitæ momenta, formidat. Adversus gaudet, „passione reficitur, mœrore fovetur: quia subsequens „vitæ præmiis tanto fe remunerari largius conspicit. quanto pro amore illius quotidianis se moribus verius im- „pendit. Hinc namque est quod cives supernæ patriæ, „conditori ejus, Psalmistæ vocibus dicunt: (Psal. 43.) „Propter te mortificamur tota die. Hinc Paulus ait: (1. „Cor. 15.) Quotidie morior propter gloriam vestram fratres. „Hinc iterum dicit: (2. Tim. 1.) Ob quam causam hæc „patior, sed non confundor. Scio enim cui credidi, & certus „sum quia potens est depositum meum servare in illum diem.

Sancti igitur viri quot labores nunc veritati commendant, dantes exhibent, tot jam remunerationis suæ pigora „intra spei cubiculum clausa tenent. „Hæc tenens Gregorius. Ex cuius verbis apertissime constat, iustorum spem à meritis suum ortum habere, propterea quod illorum vita est sicut mercenariorum, qui non sperant se suscepturos mercedem, nisi labores præcedant. Præterea hoc ipsum docet Apostolus Paulus, in ea quæ est ad Romanos epistola, cap. 5. sic inquit: *Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem.* Quem locum interpretans Ambrosius, ait: *Spes in eo qui probatus videtur, non immerito dicitur. Dignus enim scietur accepturus remunerationem in regno Dei.* Hæc Ambrosius. In quibus verbis aperte docet illam solam merito dici spem, quæ bonis operibus, atque probatis innititur. Sed apertius hoc docet Anselmus, qui in Commento super epistolam Pauli, præfatum Pauli locum interpretans, sic ait: „Probatio operatur spem, quia unquam, quisque ex eo quod per tribulationes insuperabilis probatus est, incipit habere spem, id est, certitudinem futuræ gloriæ, quæ humane rationi vana videtur, sed „testimonio virtutis firmatur. Si quis enim nondum sibi „probatus præmium sperat, nondum sperat, sed præsumit.

mit. Nam tribulationes quibus patientia fidelium probatur, non solum eas debemus intelligere, quæ extrinsecus accidunt, id est, de damnis, vel langoribus, vel ex quolibet corporis cruciatu, sed eas etiam quas intus sibi faciunt, aut perferunt, dum in requie positi semetipsos affligunt & atterunt, obstitendo voluptatibus suis, refrænando libidinem: & cætera quæ ad bonam conscientiam vel abstinentiam pertinent faciendo, ex quibus sine dubio nascitur patientia, quæ probabilis effectus generat spem. Spes autem est honorum expectatio futurorum. Hæc Anselmus. Quid hic dicit Lutherus contra tam præclara testimonia? Si Ambrosium & Anselmum contemnere non veretur, dignum tamen est ut saltem Paulum veretur, qui ait: *Probatio autem operatur spem.* Spes ergo nascitur ab operibus bonis, probatis & examinatis. Deinde ipsemet Paulus propter bona opera quæ multa fecerat, sperat haud dubie se gloriam accepturum, sic enim ait: (2. Tim. 4.) *Ego enim jam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed illis qui diligunt adventum eius.* Si aliquis à beato Paulo interroget, unde tam certam conceperit spem, ut magna cum fiducia dicat, repositam sibi esse coronam justitiæ, respondebit inde se certum esse de sua corona, quia bonum certamen certavit, cursum consummavit, fidem servavit. Nec in hoc solum sperat, sed etiam in iustitia iudicis, hoc est, Dei, qui nemini bene certanti unquam coronam meriti denegavit. Accedit ad hæc quod ipsamet scriptura facta docet nos ex parte in bonis operibus sperare. Nam Propheeta Regius ita ait: (Psal. 4.) *Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino.* Quæ verba exponens Hieronymus super Psalmos, ita ait: *Sacrificium Deo immolate iustitiam, & consequenter sperabit in Domino.* Hæc ille.

Quibus verbis Propheeta aperte docet veram non esse spem quam non præcedit sacrificium iustitiæ. Idem etiam docet Paulus in epistola ad Titum, cap. 2. sic inquit: *Sobrie & pie & iuste vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, id est, ut securi possimus futuram beatitudinem sperare.* Hanc enim nomine spei ibi intellexit Paulus, prius admonuit sobrie, & pie, & iuste vivere.

Ex quibus constat veram spem aliqua ex parte ab operibus nasci. Verum Lutherus, quoniam non vult sobrie, aut iuste, aut pie vivere, velet semper veram absque his omnibus habere. Rursum, spem omnium illorum qui sine meritis sperant, vanam esse sacræ literæ prædicant. Nam in libro Job, cap. 8. legimus, quod *Spes hypocritæ peribit. Non ei placebit recordari sua, & sicut tela araneorum fiducia eius. Innitetur super domum suam, & non stabit, sivelet eam, & non confurget.* Et in eodem libro, cap. 11. iterum: *Oculi impiorum deficient, & effugium peribit ab eis, & spes impiorum abominatio animæ.* Et Sapiens in Proverbiis, cap. 10. ait: *Spes impiorum peribit.* Et in lib. Sapient. cap. 5. *Spes impii tamquam lanugo est, quæ à vento tollitur, & tamquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur: & tamquam fumus, qui à vento diffusus est: & tamquam memoria hospitis unius diei prætereuntis.* Et in Ecclesiastico, cap. 34. *Vana spes & mendacium viro insensato.* Vana est ergo Lutheri insensati spes, qui sine operibus confidit se gloriam æternam assequaturum. Demum hæc Lutheri impia & insana sententia reprobanda est ab Universitate Parisiensi inter alias illius multas quas fa-

cultas illa damnavit. Contra istam hæresim pugnant illa omnia quæ supra diximus in titulo de Fiducia.

STUDIA GENERALIA

Quemadmodum tyrannus aliquis qui vi & violentia dominatur in populo, omnia arma quibus populus resistere posset tyrannicæ dominationi, ab eo auferri, quo facilius prout libuerit, suam exerceat tyrannidem, sic mihi fecisse videtur Joannes Vvicleph, qui cum plurimas sparsisset hæreses, ne per litterarum notitiam impie illius doctrinæ resisti posset à populo, omne in populo litterarum studium ab eo auferre tentavit, dicens: studia generalia esse vana gentilitate in Ecclesiâ introducta, & tantum professe Ecclesiæ, quantum profest diabolus. Ex qua sententia satis aperte convincitur istum voluisse enervare potentiam Christianæ Religionis, sublata Christianorum scientia. *Arma enim militiæ nostræ* (ut ait Paulus 2. Cor. 10.) *non sunt carnalia, sed spiritualia.* Nec fides nostra defendenda est armis carnalibus, sed verbis & rationibus & argumentationibus, præsertim iis quæ ex sacris litteris deprimi possunt. Paulus enim præparans Ephesios ad spirituales pugnam, cap. 6. ait: *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi extingui: & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Hæc sunt arma quibus Catholicus pugnat contra hæreticum. Hanc gladium habuerunt in manibus suis omnes Doctores Sancti & Catholici, & per illum fecerunt vindictam in nationibus, increpationes in populis. (Psal. 149.) *Vindictam, inquam, quia Judæos & Gentiles, à quibus persecutionem passi sunt, per virtutem gladii spiritualis, scilicet verbi Dei, occiderunt mundo, & converterunt ad fidem: separaverunt à vitiiis, & converterunt ad virtutes, increpando eorum male acta. Vivus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio accipiti.* (Heb. 4.) At si hæc sunt arma quibus præliandum est, oportet in illis exerceri, ne forte cum tempus belli adveniret, miles nunquam exercitatus, in bello succumbat. Dexterius enim pugnat militiæ astutus, quam is qui nunquam arma sumpsit. Ideo merito milites hastiludia inter se exerceant, ut ibidem discant qualiter hostes invadere, & quo pacto illis resistere oporteat. Ad hunc modum oportet esse exercitium armatorum spiritualium, esse ludi magistros qui doceant, esse inter discipulos certamina, contentiones, quæstiones, ut sic acutius ex contentione penetret rectum rerum quas discunt intellectum, ut vel sic paratiores & promptiores fiant ad resistendum hostibus, hoc est, hæreticis. Cum autem hæc in studiis generalibus melius quam alibi fiant, convincitur inde iustum esse, immo necessarium, ut studia generalia & collegia instituantur ad litterarum exercitium habendum. Præterea, si studia non essent, nec Doctores qui alios docerent, à quo docerentur idiotæ? Numquid quilibet sufficit sibi ipsi, ut nullo eget Doctore? Si hoc concedit Vvicleph, audiat Salomonem confitentem illi: (Prover. 3.) *Ne initiaris (inquit) prudentiæ tuæ.* Et iterum: (ibidem) *Nescis sapiens apud temetipsum.* Et beatus Paulus ait: (1. Cor. 12.) *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos.* Quæ verba exponens Theophylactus, ait: Hoc est, nolite vestra prudentia, vel viribus ita confidere, ut existimetis nemine vos indigere consultore, & quæ recta sunt, suggerente. Moyses enim, cum Dei colloquio frueretur, opus tamen habuit quem consulere facerem. Hæc Theophylactus. Dic ergo mihi Vvicleph,

vii-

visne contra Sapiens & Pauli præceptum, ut ne quisque innitatur prudentiæ suæ? Si non oportet esse sapientes apud nosmetipsos, oportet ab aliis discere: quapropter necessarium est ut sint Doctores, à quibus ii qui nesciunt, discant. At cum hi Doctores non passim habeantur, iustum est, ut aliqua sint publica loca, ut puta Civitates, aut Oppida aliqua, in quibus sint aliqui parati docere omnem discere volentem: sicut in republica qualibet bene gubernata sunt sua plurimis mercimoniis loca deputata, ut emere volens, non discurrat vagus per Oppidum, & incertus quo loco illa vendantur. Discere ergo & bonum & necessarium præsertim ignorantibus. Ergo docere eadem lege erit bonum & necessarium. Nam sicut quosdam posuit Deus in Ecclesia sua Apostolos, & quosdam Prophetas, ita etiam posuit quosdam Doctores. Si utrumque, videlicet docere & discere, bonum est, cur studia generalia, in quibus docent aliqui, discunt alii, mala erunt? Et si docentes profunt, quomodo verum erit quod ait Vvicleph, quod studia generalia, in quibus Doctores docent, non magis profunt Ecclesiæ, quam diabolus? Cæterum quod ait, hæc studia generalia fuisse introducta in Ecclesiam vana quadam gentilitate, falsum est perinde ac reliquum. Nam apud Judæos olim ante Christi adventum fuerunt Doctores, qui vocabantur Scribæ, & fuerunt qui curam habebant docendi populum, & hi vocabantur Rabbini. Unde Augustinus super Joannem tractatu 44. exponens illum Joannis, cap. 9. *Et interrogaverunt eum discipuli eius: Rabbi, quis peccavit? &c.* sic ait: Scitis quia Rabbi Magister est. Magistrum appellabant, quia discere desiderabant. Quæstionem quippe Domino proposuerunt tamquam Magistro. Hæc Augustinus. Ex cuius verbis patet, quod apud Judæos à Rabbini disceretur tamquam à Magistris, quorum munus erat docere. Rursum, Judæi admirati de doctrina Christi, dicebant, (Joan. 7.) *Quomodo hic litteras scit, cum nunquam didicerit?* Et beatus Paulus in posteriore epistola ad Tim. cap. 3. ait: *Tu vero permans in his quæ didicisti, & credita sunt tibi, & scies à quo didicisti, & quia ab infantia sacræ literæ nosti.* Ex quibus duobus locis satis aperte convincitur, quod apud Judæos sacrarum litterarum intelligentia disceretur ab aliquibus, & docebatur ab aliis. Cum ergo tam aperta sint testimonia comprobantia doctrinam, & disciplinam, videamus quid Joannem Vvicleph moverit ad damnandum studia generalia. Quia in eis (inquit ille) pullulat invidia, comparationes personarum & patriæ, & multa alia seminata patris mendacii. Fateor hæc ibi adesse, sicut etiam alibi extra Universitates & studia hæc vitia adlunt: nec tamen ista oriuntur à studiis, sed à malitia ipsorum studentium. Nam aliqui nullus posset studere, quin illis vitiiis maculareretur. At cum multi sint studentes etiam in generalibus studiis huiusmodi vitiorum expertes, convincitur illa vitia non proficisci à studio, sed ab ipsis personis quæ alibi etiam eisdem inficerentur vitiiis. Non est (ut credo) Civitas, aut Oppidulum quantumlibet parvum, in quo huiusmodi vitia, puta invidiæ, rixæ, contentiones, suspiciones, mendacia, non sæpe contingant. Numquid forte damnanda erit omnis vita quæ in congregatione aut aliorum societate habetur, eo quod semper in qualibet multitudine nascantur? Absit, quoniam talis congregatio sine his vitiiis haberi posset. Quod autem talia habeantur, à malitia aliquorum provenit: non tamen omnium, quoniam multi sine his vitiiis in congregatione vivunt. Non sunt ergo hæc occasione damnanda generalia studia, alioqui eadem lege esset damnanda om-

Tom. I.

nis populi congregatio. Accedit ad hæc, quod iste scholarum & studiorum usus non est tam recens, ut Vvicleph putat, sed ab ipsis Ecclesiæ primordiis incepit. Nam Antiochia fuerat ab Apostolis constituta schola ad docendum, in qua erant insignes Doctores ad id munus obsemdum. Hoc autem ex libro Actorum Apostolorum, cap. 14. conjici potest, ubi sic dicitur: *Erant autem in Ecclesia quæ erat Antiochia, Propheeta & Doctores, in quibus Barnabas & Simon, qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenensis, & Manachen, qui erat Herodis Tetrarchæ collætanus, & Paulus. Ministrantibus autem illis Domino, dixit Spiritus Sanctus: Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos.* Ecce opus & officium ad quod ex omnibus Christi discipulis soli quinque sunt electi, qui Antiochiæ doceant: & ex his quinque duo fuerunt ad Apostolatam evecti, videlicet Paulus & Barnabas. Ex quo patet tunc aliud fuisse Doctorem officium, aliud Apostoli. Post hanc Antiochiæ scholam alia fuit erecta Alexandriæ schola, de qua Eusebius Cæsariensis, libro quinto Historiæ Ecclesiasticæ, capite decimo de Temporibus Antonini Imperatoris loquens, per hæc verba testatur: *Cum per idem tempus scholæ Ecclesiasticæ & Doctores officio præfesset vir in omni eruditione nobilissimus Panthenus, ex quo apud eos consuetudo antiquitus tradita usque in hodiernum permanet, divinarum scripturarum Doctores inibi scholæ Ecclesiasticæ haberi viros dumtaxat in scientia & in eruditione probatissimos. Huius ergo officii velut auctor quidem & dux, vir, de quo supra testavimus, satis illustris habebatur: quippe qui etiam in Philosophis prius, qui Stoici appellabantur, nobiliter florisset. Hæc Eusebius. Post hunc Panthenum dicit idem auctor successisse in eadem schola Clementem: & post Clementem, Origenem, & sic successive alios narrat doctores qui illi scholæ præfuerunt. Non est ergo tam recens scholarum & studiorum inventio, ut Joannem Vvicleph putat. Sed ut huic finem liti imponamus, videamus quid Concilium Constantiense de hac re definierit. Concilium namque Constantiense, sessione octava, damnavit 45. articulos huius Joannis Vvicleph, quorum vicestesimus nonus, sub his verbis ibidem ponitur: *Universitates, studia & collegia, graduationes & magisteria in eisdem sunt vana gentilitate introducta, & tantum profunt Ecclesiæ sicut diabolus.* Hæc ibi. Qui articulus simul cum aliis, una super omnes lata sententia, ibidem damnatus est.*

SUBDITUS.

Nullus est Ecclesiæ status quem non momorderit Joannes Vvicleph, nulla est potestas cui non detraxerit. Nec contentus est ipse obedientiam & subjectionem suis superioribus denegare, nisi etiam subditis idem faciendum persuaderet. Neque hoc satis esse putavit, nisi subditos superiores suis prælatis, & vassallos superiores suis dominis faceret. Dicit enim populares homines posse ad libitum suum prælatos & dominos delinquentes corrigere, & ita asserit, populum iuste subtrahere decimas à Sacerdotibus cum eos peccatores esse cognoverunt, & ab aliis dominis subtrahere tributa propter illorum peccata. Qua in re evenisse comperimus quod Paulus, de hæreticis ait: *Mali homines & seductores proficent in pejus, errantes, & in errorem mittentes.* Talis est Vvicleph, qui ut favorem populi acquireret, in hunc lapsum est vesanus & pessimum errorem, quo nullus alius pestilentior esse posset. Nihil est enim quod magis possit no-

Ccccc

cc-

ere paci & tranquillitati alicujus reipublice, quam si cui-
libet populari homini tribuas potestatem corrigendi præla-
tum, aut dominum suum. Erit tunc quælibet reipubli-
ca umbra quedam, aut imago inferni, in quo, teste Job,
cap. 10. *nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*. Qua-
lis quæso esse potest ordo, ubi is, qui corrigendus est,
corrigitur vult? & qui corrigere debet, correctionem pati-
tur? Nullus certe est ordo, immo maxime ordini con-
trarium est, ut is qui præest, corrigatur ab illo cui præest.
Nullus enim tunc esset alio superior, si cum eorum aliquis
delinquit, se invicem possent corrigere. O miseranda talis
republica, quæ juxta Vviclephi sententiam gubernanda
esset. In ea enim omnes rudes homines, idiotæ, scelesti,
raptores, adulteri, mendaces, prælatos & dominos suos
corrigitre vellent, & qui peior esset, vehementius domi-
num & superiorem invaderet, ut ipse à nullo puniretur,
sed in sua nequitia impunis maneret. Tunc enim omnia
essent confusa. Puer contra senem tumultuaretur, igno-
biles surgerent in nobilem, idiotæ contra sapientes, disci-
puli contra magistrum, filii adversus parentes. Et ita ef-
feret reipublica puteus quidam, (vel ut verius dicam)
abyssus scandalorum. Quid non faceret populus tali licen-
tia donatus? Est enim populus fera quædam & immanis-
sima bestia, qua non est alia ferior, aut truculentior. Præ-
terea, si licet cuiilibet homini ex plebe dominum delin-
quentem corrigere: cur David in spelunca existens
quam ingressus est Saul, ut purgaret ventrem, non in-
terfecit eundem Saulem, cum tunc facillime id agere
potuisset? (1. Reg. 24.) Nonne Saul Rex jam malus erat, &
regno à Domino Deo privatus? Numquid non jam occide-
rat Achimelech Sacerdotem, & alios 85 viros vestitos Ephod
lineo, propterea quod David esurienti panes propo-
sitionis dedisset? (1. Reg. 22.) Numquid non ipsummet
David sæpissime occidere tentaverat injuste, fecissetque,
nisi Dominus servum suum de manu illius servasset? Et
tamen cum hæc omnia notissima essent ipsi David &
omni populo, noluit David illum punire cum pos-
set, sed solum oram chlamydis Saul silenter præscidit,
nec tamen forte sine aliqua quavis levi culpa id fecit:
quod ex eo convincitur, quod postea poenituit ipsum
David, eo quod abscedisset oram chlamydis Saul. Quo
fit ut multo magis poenitisset eum, si personam Saul per-
cussisset. Ideo viris suis consulentibus illi ut occideret
Saul, dixit David: (1. Reg. 24.) *Propitius sit mihi Do-
minus, ne faciam hanc rem Domino meo Christo Domini, ut
mittam manum in eum, quia Christus Domini est*. Rursum,
beatus Gregorius exponens illud Job cap. 24. *Qui regnare
facit hominem hypocritam*, sic ait: Sed quia rectores habent
judicem suum, magna cautela subditorum est non
temere vitam judicare regentium. Neque enim frustra
per semetipsum Dominus res namulariorum fudit (Mat. 12.)
& cathedras vendentium columbas evertit, & nimi-
rum significans, quia per magistros quidem vitam judicat
plebem: sed per semetipsum facta examinata magistrorum.
Et aliquibus interjectis, subdit: Igitur sicut prælati cu-
randum est ne eorum corda æstimatione singularis sapien-
tiæ locus superior extollat, ita subjectis providendum est
ne sibi rectorum facta displiceant. Si autem magistrorum
vita jure reprehenditur, oportet ut ex eos subditi etiam
cum displiceant, venerentur. Hæc Gregorius. Ex cuius
verbis constat non licere subditis de vita pastoris judicare:
minus ergo licebit eis pastoris malam vitam punire. Deinde
de, cum superius in titulo de potestate jam probaverim-
us, nullam potestatem nullamque dominum amitti per

peccatum mortale, convincitur ex eo subditis non licere
dominos suos delinquentes punire. Alioqui cum deliquit-
sent, jam potestatem amississent, propterea quia peccan-
tes subfuit illis ad correctionem quibus ante peccatum
præerant. Demum ex 45. articulis Joannis Vviclephi in
Concilio Constantiensi sessione octava damnatis, decimus
septimus sic ait: Populus possunt ad suum arbitrium
dominos delinquentes corrigere. Qui articulus simul cum
aliis ejusdem ibidem damnatus est.

SUFFRAGIA DEFUNCTORUM.

NON satis visum est Luthero viventibus nocere, nisi
etiam defunctis nocuisset. Viventes enim à ve-
neratione Sanctorum avocet, ne videlicet eorum oratio-
nibus juvenetur, qui plurimum apud Deum possunt. Defun-
ctos vero vivorum suffragiis fraudat. Itaque & vivo-
rum & defunctorum hostem se esse demonstrat. De Sanc-
torum veneratione jam disputavimus, superest, ut pro
suffragiis defunctorum adversus Lutherum pugnemus.
Dicit enim Lutherus nihil prodesse defunctis orationes,
sacrificia, elemosynas quæ à vivis pro illis fiunt. Nec
tamen hujus erroris primus auctor est Lutherus, quon-
iam ante eum fuerat Vvaldenses, & Albigenes, qui
hunc tutati sunt errorem. Et ante istos eundem errorem
docuerunt Græci & Armeni, qui (ut alias diximus) ne-
garunt omnino purgatorium, quapropter, juxta eorum
sententiam, oporteret orationes pro defunctis esse inu-
tiles. Primus hujus erroris auctor, quod sciam, fuit Aeri-
us quidam Presbyter. Hunc enim errorem illi impingit
Augustinus libro de hæresibus, cap. 55. Et certe si de-
functi tales sunt quales hi hæretici, fateor non oportere
sacrificia, aut orationes pro illis Deo offerre, quoniam fru-
stra offeruntur talia pro iis qui in inferno sunt. Verum
pro iis qui sunt in purgationis loco, pium est & utile
Deum orare, aut alia sacrificia offerre. Nam in purgato-
rio existentes cum charitatem habeant per quam Christo
capiti conjungantur, fit ut membra sint corporis Ecce-
lesiæ, cujus & membra sunt alii viventes. At hoc à natura
institum est, ut uni membro patienti reliqua compati-
antur, & se invicem membra juvent, cum alterutro egerit.
Cum ergo in purgatorio existentes patiantur, opus est ut
viventes eos juvent orationibus & sacrificiis. Nam si vi-
ventes pro vivis orantes exaudiuntur, cur non etiam
cum pro mortuis orant, si illi egerit, & tales sunt qui ju-
vari possunt. Membro siquidem præciso nullum auxilium
præstare potest aliud membrum in corpore manens. Mem-
brum tamen quantumlibet languidum dum corpori adhæret,
ab aliis membris juvari potest. Et hæc de causa ora-
tiones viventium non profunt existentibus in inferno:
quoniam hi sunt membra præcisa: existentes autem in
purgatorio, membra sunt corpori conjuncta, & ideo à
reliquis membris juvari possunt. (Marc. 2.) Cum vidis-
set Jesus fidem quorundam offerentium illi paralytico,
ait paralytico: *Fili, dimittantur tibi peccata tua*. Si fides
istorum offerentium tantum profuit paralytico viventi, cur
non fides offerentium sacrificia poterit prodesse defunctis,
cum isti sint ejusdem corporis membra coram Deo viven-
tia? Præterea Tobias senior filium suum bonis consiliis
erudiens, cap. 4. ait: *Panem tuum & vinum tuum super
sepulcrum justi constitue*. Nisi enim oblationes pro defunc-
tis factæ aliquid illis prodesse, frustra Tobias suasisset
filio constituisse panem & vinum super sepulcrum justis.
Non enim ponuntur illa ad pascenda corpora defuncto-
rum,

rum, potest viventium, pauperum videlicet, & Sacerdo-
tum, ut hæc elemosyna pauperibus oblata, in utilitatem
cedat ipsius defuncti. Rursum, in 2. Machab. lib. cap.
12. apertissimum habetur pro suffragiis defunctorum tes-
timonium, ubi sic dicitur: *Judas facta collatione duodecim
mille drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro pecca-
tis mortuorum in sacrificium, bene & religiose de resurrectione
cogitans*. Nisi enim eos qui ceciderant, resurrecturos
speraret, superfluum videretur & vanum orare pro mor-
tuis: sed quia considerabat, quod hi qui cum pietate dormi-
tionem acceperant, optatam haberent repositam gratiam:
*Sancta ergo, inquit, & salubris est cogitatio pro defunctis
exorare, ut à peccatis solvantur*. Hæc ibi. Quibus verbis ni-
hil potest expressius dici ad hunc errorem proferendum.
Quapropter videntes hæretici se hoc testimonio vehementer
argeri, ad hoc commune illis asylum confugiunt,
dicentes, illum Machabæorum librum non esse canonicum,
neque esse tantæ auctoritatis, ut ejus testimonium sufficiat
ad aliquam doctrinam refellendam. Verum de hoc non
est opus nunc disputare, quoniam ne passim talem susci-
peremus laborem, supra libro primo, capite secundo of-
tendimus, catalogum eorum librorum qui Canonici ap-
pellantur, quorum testimonio uti oportet in disputatione
quæ de rebus ad fidem spectantibus fit. In quo catalo-
go inserti sunt duo libri Machabæorum, qui licet non
fuerint ab Hebræis in canone computari, ut beatus Hie-
ronymus ait: Ecclesiæ tamen tamquam canonicos recipit
illos libros. Cæterum, & si hi libri canonici non essent,
neque ullum esset scripturæ sacræ testimonium apertum,
efficacissimum esset testimonium pro hujus rei confirma-
tione, totius Ecclesiæ Catholicæ veritissimum consuetu-
do. Unde beatus Augustinus in libro de cura pro mor-
tuis agenda, cap. 1. sic ait: In Machabæorum libris legi-
mus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed etsi nusquam
in scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est
universæ Ecclesiæ quæ in hac consuetudine claret aucto-
ritas, ubi in precibus Sacerdotis quæ Domino Deo ad
ejus altare funduntur, locum suum habet etiam com-
mendatio mortuorum. Hæc Augustinus. Sunt etiam plu-
res alii sacri Doctores, sanctitate perinde ac doctrina illu-
stres, qui pro hac re testimonium dicunt. Et (ut recen-
tiores omitteram) à beato Gregorio initium fumo, qui li-
bro quarto Dialogorum, capite quinquagesimo quinto, sic
ait: Si culpæ post mortem insolubiles non sunt, multum
solet animas etiam post mortem facta oblatio hostiæ salu-
taris adjuvare, ita ut hanc nonnumquam ipsæ defuncto-
rum animæ expetere videantur. Hæc ille. Quod autem
dixit, si culpæ post mortem insolubiles non sunt, propter
eos qui sunt in inferno, dixit, quorum peccata insolubilia
non sunt, nec ulla possunt jam satisfactioe redimi.
Theophylactus super Lucam exponens illud Lucæ, cap.
12. *Timete eum qui potest corpus & animam mittere in gehennam*,
sic ait: Vide enim quod non dixit, meritis eum
qui postquam occiderit, mittit in gehennam, sed haben-
tem potestatem mittendi. Non enim semper qui moriuntur
peccatores, mittuntur in gehennam, sed sunt in po-
testate Dei, ut etiam dimitti possint. Hoc autem dico
propter oblationes & distributiones quæ fiunt pro defunctis,
quæ non parum conducunt etiam iis qui in gravibus
peccatis mortui sunt. Non omnino igitur postquam oc-
ciderit, mittit in gehennam, sed potestatem habet mit-
tendi. Ne igitur cessemus per elemosynas & intercessio-
nes propitium reddere eum qui potestatem habet mittendi,
non semper potestate hæc utentem, sed & valentem

remittere quicquam. Hæc Theophylactus, qui satis aper-
te suffragia quæ pro defunctis fiunt, commendat, & ad
illa facienda suadet. Beatus Chrysofomus homilia sexa-
gesimanona, Bernardo Brixiano interprete, hujus rei ve-
tustissimam assignat originem, dicens: Num temere ab
Apostolis hæc sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis,
defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis in-
de multum contingere lucrum, utilitatem multam. Hæc
Chrysofomus. Ex cuius testimonio constat hanc ab Apo-
stolis mansisse institutionem, ut in Missæ sacrificio defun-
ctorum fieret commemoratio, ut inde aliquid lucri defuncti
consequerentur. Athanasius in libro de variis quæstio-
nibus ad Antiochum Principem, quæstione tricesima-
quarta, hoc modo exaruit: Quid ergo? Num sentium alia
beneficia etiam peccatorum animæ, cum super illis
sunt conventus & peractiones bonorum operum & obla-
tionum? Cui quæstioni per sequentia verba respondet: Si
non aliquo beneficio participaret ex illo, non utique in
cura & exequiis fieret commemoratio. At sicut visis flo-
rescit extra in agro, & odorem ejus sentit in vase vinum
reclusum, sicque conflorescit etiam ipsum: ita intelligen-
mus peccatorum animas participare aliqua beneficia ab
exangu immolatione, & gratificatione pro ipsis facta, si-
cut solus ordinat & præcipit, qui vivorum & mortuo-
rum potestatem gerit Deus noster. Hæc Athanasius. Et
beatus Dionysius Areopagita Pauli Apostoli discipulus,
libro de Ecclesiastica Hierarchia, capite septimo, descri-
bens caeremonias quæ in defunctorum exequiis suo tem-
pore fiebant, ait: Accedens deinde venerandus antistes
preceam suam super mortuum peragit, postque preceam &
ipse præsul eum salutat, & suo deinceps ordine qui as-
tant omnes. Precatur oratio illa divinam clementiam, ut
euncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata
defuncto, eumque in luce stiat, & regione vivo-
rum, in sinibus Abrahæ, Isaac, & Jacob, in loco unde
effugit dolor, tristitia, & gemitus. Hæc Dionysius Areo-
pagita. Ex cuius verbis satis constat tempore Apostolorum
fuisse servatum hunc modum orandi pro defunctis.
Post hæc illustrium virorum testimonia, ut finem huic
contentioni imponam, multa diveriorum Conciliorum
decreta in medium producam. Concilium Cartaginense
quartum, cap. 95. tale statuit decretum: Qui oblationes
defunctorum aut negant Ecclesiis, aut cum difficultate
reddunt, tamquam egentium necatores execomunicentur.
Hæc ibi. Concilium Valense capite quarto suorum de-
cretorum ita definit: Qui oblationes defunctorum reti-
nent, & Ecclesiis tradere demorantur, ut infideles sunt
ab Ecclesia abjiciendi, quia usque ad inaniciem fidei
pervenire certum est hanc divinæ pietatis exacerbatio-
nem, quia & fideles de corpore recedentes votorum plen-
titudine, & pauperibus consolati alimonie & necessaria
sustentatione fraudantur. Hi enim tales quasi egentium
necatores, nec credentes iudicium Dei habendi sunt. Un-
de & quidam patrum hoc scriptis suis inseruit congruente
sententia, quæ ait: Amico quippiam rapere furtum est,
& Ecclesiam fraudare sacrilegium. Hæc Concilium Va-
lense. Et Concilium Agathense, cap. 4. idem sub eis-
dem fere verbis definit. Concilium Toletanum tertium,
cap. 22. hanc ponit definitionem: Qui divina vocatione
ab hac vita recedunt, cum Plalmis tantummodo & psal-
lentium vocibus debere ad sepulchra deferri præcipimus.
Nam funeris precamen quod vulgo defunctis cantari so-
let, omnino prohibemus. Sufficiat autem quod in spe
resurrectionis Christianorum corporibus famulatus divini-
rum